DIETERICI TIEDEMANN

PHILOSOPHIAE IN ACADEMIA MARBVRGENSI PROFESSORIS P. O.

DISPVTATIO DE QVAESTIONE

QVAE FVERIT ARTIVM MAGICARVM ORIGO, QVOMODO ILLAE AB ASIAE POPVLIS AD GRAECOS, ATQVE ROMANOS, ET AB HIS AD CETERAS GENTES SINT PROPAGATAE, QVIBVSQVE RATIONIBVS ADDVCTI FVERINT II QVI AD NOSTRA VSQVE TEMPORA EASDEM VEL DEFENDERENT, VEL OPPVGNARENT?

QVAE PRAEMIVM TVLIT

A SOCIETATE SCIENTIARVM REGIA, QVAE GOTTINGAE EST.



Dii istam animis avertite pestem!

MARBVRGI,

IN NOVA OFFICINA LIBRARIA ACADEMICA.

MDCCLXXXVII.

G

PROLVSIO.

Tria quaerit illuſtris ſcientiarum ſocietas de magia, quam originem habuerit, qua ratione ex Aſia in Graeciam et Romam, hinc in alias gentes manarit, et quibus tandem argumentis ad noſtram usque aetatem defenſa ſit, aut oppugnata. In tres ergo partes diſputatio noſtra commode diſpeſcitur, quarum prima naturam magiae ac definitionem una cum origine; altera Chaldaeorum, Perſarum, Aegyptiorum, deinde Graecorum et Romanorum, tandem gentium ſeptemtrionem verſus habitantium, Gallorum, Britannorum et Germanorum magiam ad noſtram usque aetatem exponet; tertia, quae diſputata in utramque partem ſunt, quam poterimus breviſſime, narrabit. Omnia namque et ſingula ſummo ſtudio perſequi, aut aliorum omnes ſcrutari opiniones, nec vacat, nec operae etiam eſt; modo quae ſunt hac in re momenti maximi, quaeque plurimum faciunt ad judicium de magiae indole accuratum et probabile ferendum expoſuerimus: ſatis nos illuſtri ſcientiarum ſocietati remur feciſſe. Neminem praeterea, nec eorum, qui hujus certaminis ſedent judices, (hi enim maxime, quid humana ferat imbecillitas, norunt,) nec aliorum, exceptis quorum ferociam nondum fregit experientia, arbitramur poſtulaturum, ut qui de magia audeat ſcribere, omnia quae de ea in lucem prodierunt unquam, legerit; ſunt enim haec multa adeo, ut magna vitae pars in iis tum conquirendis tum legendis ſit exhaurienda.

Ambitus praeterea quaeſtionis eſt tantus, ut ei exhauriendae ſat magna libri moles ſit impendenda. Satius itaque exiſtimavi fore, ſi antiquae praeſertim magiae hiſtoriae intentus, cetera, utpote a pluribus tractata, mitterem in compendium, adductisque praecipuis noſtri aevi ſcriptoribus, ſilentio fontes praetermitterem, ut quorum notitia hauriri ex his ipſis ſcriptoribus facile poteſt. Hinc factum etiam, ut quae diſputari pro magia ſolent ordine expoſuerim, argumentis eorum, qui alteram tuentur partem, inſertis, ubi diſputationis ordo poſtulabat. Quin multa me praeterierint, nullus equidem dubito, in re enim tantum complexa temporis ſpatium, per tot libros ſparſa, nuſpiam paullo accuratius

 per-

pertractata, fieri id aliter vix poteſt, niſi quis ſtudiorum rationem inierit eam, qua hujus argumenti libro ſcribendo ante ſe jam accinxerit, id quod, fateor ingenue, mihi aliis rebus intento, ad ſuperſtitiones obiter tantum reſpicienti, propoſitum fuit numquam. Modo igitur praecipua exſecutus recte fuero; hujus generis peccata facile judices aequos mihi ſpero condonaturos. Sed tempus jam eſt aggrediendi rem ipſam, ordine tractandi paullo uberius ante expoſito.

Pars prima de magiae natura et origine differit ita, ut

Capvt I. exhibeat definitionem magiae.
Cap. II. partes magiae tradat.
Cap. III. originem ejus e prima repetat hominum barbarie.

Pars ſecunda magiae propagationem ab orientis populis ad reliquas gentes enarrat ita, ut

Capvt I. agat de magia Chaldaeorum.
Cap. II. de magia Perſarum.
Cap. III. de magia Indorum.
Cap. IV. de magia Aegyptiorum.
Cap. V. de magia Graecorum antiquiſſima.
Cap. VI. de magia Graecorum a bellis Perſicis ad Ptolemaeos usque.
Cap. VII. de magia Graecorum ad Caeſarem Auguſtum usque.
Cap. VIII. de magia Romanorum antiquiſſima.
Cap. IX. de magia peregrina Romam translata.
Cap. X. de incrementis magiae ad III. usque ſeculum p. C. N.
Cap. XI. de indole magiae ad Conſtantinum M. usque.
Cap. XII. de magiae Romanorum poſt Conſtantinum M. facie.
Cap. XIII. de magia gentium Europae occidentem verſus habitantium ad ſeculum XIII. usque.
Cap. XIV. de magia ad noſtra usque tempora.

Pars tertia argumenta exponit, quibus in utramque partem de magia eſt disputatum, eaque in tria diſpeſcitur capita, quorum

Capvt I. agit de argumentis philoſophorum antiquorum ad Iamblichum usque.
Cap. II. de argumentis Iamblichi.
Cap. III. de argumentis defenſorum magiae poſt Iamblichum.



Pars I.



PARS I.

MAGIAE DEFINITIO ET ORIGO.

CAP. I.

DEFINITVR MAGIA.

Quicunque exercent magiam, iis patrare mira, id est quae ingenii corporisque humani non modo, sed aliorum etiam corporum superant vires, est propositum. Quodsi enim viribus naturae adjuti efficere sese putarent posse, quae cupiunt; naturae uterentur auxiliis, quae in efficiendis ubique aliis adhibere homines solent. Magia rebus miris operam navat.

Nec obstat, quod nonnulli, invidiam arti dempturi, petere eam quod superet vires naturae negarunt; esse id occultum modo et legibus quotidianis non adstrictum simul addentes. Si enim naturae non superant vires occulta, effici a quolibet rite docto queunt; magique adeo forent quicunque primi vires naturae ante ignotas detexerunt. Nec prodest iis, quod spirituum sese ope patraturos, quae corporum superant vires, profitentur, cumque spiritus sint partes naturae, sese sublimiorem naturae partem scrutari, ut inferiori dominentur. Quicquid dicant, cancellis nihilominus nostris includi se patientur; spiritus enim si legibus universi divinoque ordini convenienter multa efficiunt in globo terraqueo: naturae sunt partes, quaeque ab iis fiunt, naturae non superant vim; unde, simul innotuerit ars flectendi spiritus, eadem prorsus qua artes reliquas a quolibet posse ratione exerceri, prono fluit alveo. Sin minus; mirorum se edendorum teneri cupiditate cogentur largiri. Qui autem a Deo ipso repetunt magiae vim, hi lubentes nobis accedent; Deus namque quaecunque facit sua vi, miracula a philosophis jure censentur. Qui occulta obtendunt, mira tamen intelligunt.

Omnis porro magia est ars; disci enim posse ac doceri magiam omnes fere largiuntur, et qui non largiuntur, esse tamen viam ac rationem certam, qua adipisci nobis magiam liceat, sibi persuadent. Si qui adjiciunt magum ut poëtam debere nasci; usum tamen et exercitationem non excludunt, quin summe potius existimant necessarios, ut sine quibus naturae dotes nihil prosint. Magia est ars.

Est ergo magia ars, sive malueris scientia perpetrandi mira, id est, quae superant leges et vires corporum et animalium rerumque earum, quas huic mundo inesse ibique ali- Definitio magiae.



aliquid efficere, experientia aut ratio certa docuit. Si cui itaque Deus benignitate singulari indulserit potestatem edendi miracula; is magus non erit, cum arte ac methodo nulla id sit consecutus, sed sola Dei, voluntati ejus obsecundantis benignitate, miracula edat. Nec magus est etiam, quem juverunt sponte spiritus (si licet his naturae ordinem mutare) in litteris addiscendis, reconditis rerum viribus cognoscendis, in efficiendis, quae fieri per vires corporum non possunt; nulla namque arte, nulla ratione certa hoc est assecutus. Qui contra habere se profitetur praecepta, aut viam certam, Deum aliosque spiritus precibus, verbis, sacrificiis aut alio quovis modo adigendi et quasi cogendi, ut faciant quae cupit; qui hanc methodum semper efficere idem, et conciliare unicuique rite eam sequenti eandem miracula edendi potestatem affirmat: is magus jure meritoque censetur.

Jure in definitione bonorum spirituum pravorumque non fieri mentionem.

Ne quis autem miretur, mentionem in definitione non fieri spirituum pravorum, quin ipsi Deo locum in ea relictum; haec insuper putamus addenda. Magiae vocabulum modo latius sumitur, modo strictius; unde definituro accurate, nec parti ulli in sermonis principio temere bellum illaturo, sensus latissimus, qui reliquos comprehendit omnes, est eligendus. Magiam omnem, sunt, qui inter malas artes collocent, divino humanoque juri repugnantes; alii contra esse quidem magiae genus, quod impium ac nefarium jure habeatur, sed esse etiam aliud censent, quod in virum pium et bonum cadat. Hi rem sic expediunt: quaecunque magia Dei aut spirituum bonorum ope exercetur, officiis erga Deum et homines, cum sit cultus quoddam et religionis genus, non repugnat; quaecunque contra daemonum malorum auxilio perpetratur, ea improba, scelesta, nefaria recte censetur. Quo ipso cum nihil secum pugnans doceatur; magia in genere ita videtur, ut factum modo est, definienda, eaque rursus in bonam et malam dispescenda.

Magia qui differat ab religione.

Hinc alia subnascitur de religionis et magiae discrimine quaestio. Si, quod magiam inter et religionem intercedit discrimen quaeris: aut intelligis id quod rerum natura statuit, aut quod hominum opiniones ponunt. Rerum natura, quorum alterum nihil est, discernere a se invicem, quasi ambo essent aliquid, non patitur. Magiam namque si dixeris religionis esse partem et simul artem aliquam; tecum ipse pugnas. Versatur omnis in eo religio, ut Deum precibus flectamus, non cogamus, preces omnes et summi numinis cultus liberum Deo reliquunt, quicquid lubuerit decernere, proinde ars esse magia nequit, cum nihil certi promittat. Quodsi precibus et pietate cogi Deum asseris, religio omnis vertetur in magiam, omnis enim religio, bona sectatoribus et Dei benevolentiam promittit. Porro quae subsit his impietas, Deum adeo existimare imbecillum, adeo facile blanditiis deliniendum, ut adigatur invitus ad obsequendum cultoribus et nihil queat iis denegare, in oculos facile incurrit. Sequentes porro quae constans et certa docuit experientia, cur Deum existimemus colentibus peculiarem quandam indulgere vim, ordinem et leges naturae mutandi, plane non habemus. Ad spiritus autem quod attinet, hi caussarum et effectuum ordinem ac naturae leges nequeunt invito Deo mutare, ut nec hac ex parte discriminis quicquam inter magiam et religionem sit sperandum. Magia igitur cum nec pars sit religionis, nec religio magiae faveat: nihil iis revera sequitur esse commune.

Hominum autem opiniones magiam a religione discernunt ita: ut quaelibet gens, quaecunque discedunt a ritibus et cultu patriis, ad magiam referant. Sunt enim in omnibus barbararum gentium religionibus caerimoniae, quibus peculiarem miracula edendi potesta-

teſtatem a Diis ſibi exiſtimant indulgeri; ut adeo hae religiones natura ſuapte ſint magicae.

Genera magiae.

Poſt definitionem magiae traditam ſupereſt, ut ejus genera inde derivemus, tum quo magis definitionis ambitus et ſenſus pateſiat, tum etiam ut intelligatur, omnia eam, quae referuntur ad magiam, complecti. Omni magiae et magis omnibus propoſitum eſt efficere, quae vires humanas ſolas per ſe ſumtas, vires etiam corporum ſuperant, unde auxiliis ſeſe externis coguntur munire. Ad duo haec redigi capita ſumma commode poſſunt; aut enim viribus majoribus et amplioribus e ſuperiori mundi regione in ſe derivatis ſeſe ornare, aut geniorum ac ſpirituum auxilium adhibere illis neceſſe eſt. Eſſe in ſumma mundi regione, in aſtris, coelis, ipſaque rerum ſuperiorum ſubſtantia puriori ac ſubtiliori, vires exiſtimant praeſtantiores, caerimoniis quibusdam, caſtitate, corporis animique puritate in nos derivandas, idque ſine geniorum fieri miniſterio. Sunt contra, quibus diſplicet haec ſubtilitas, quique ad genios autumant confugiendum. Haec genera duo, etſi re differunt, nominibus tamen hucusque nondum ſunt diſcreta. Prius illud genus accurate ſententiam non exponit; vires enim has, utpote incorporeas, ſponte an coactas in animum noſtrum putet deſcendere, haud ſolet definire. Propius vero videtur, ſponte eas vires animae noſtrae ex eorum ſententia jungi, cum viribus ſpirituum ſimiles eas exiſtiment. Quodſi putent ſuapte natura cogi eas in animum noſtrum ſeſe inſinuare; nihil huic arti ineſt, cur ad magiam referatur: quod enim fieri ſecundum leges naturae, etſi occultas, putatur, id aliis artibus humanis eſt accenſendum.

Alterum genus in duas iterum ſpecies ſcinditur, prout ſpiritus, quorum utitur auxilio, aut boni ſunt aut mali; illam Graeci μαγειαν hanc γοητειαν conſueverunt vocare; (*) ita tamen ut μαγειαν ſemper a γοητεια non diſtinguant, quem loquendi uſum antiquiores maxime ſequuntur. Solent apud gentes haud paucas haec genera, nulla diſcriminis ſpirituum habita ratione, aut hoc etiam plane adhuc ignorato, diſtingui e voluntate hominum, ut qui magiam adhibent ad utilitatem aliorum, magi, qui eam vertunt in damnum aliorum, praeſtigiatores, aut venefici dicantur.

Magiae fines peculiares.

Omnis magiae finis eſt, quae vires ſuperant humanas patrare, maxime quibus opes, voluptates, honores parantur. Hinc aegros curare nulla aut imbecilli per ſe medicina, noſſe futura aut occulta, invenire deſoſſos auri argentique theſauros, mutare metalla cuncta in aurum aut argentum, naturam omnium rerum habere perſpectam, quin regna aut respublicas evertere aut tueri, verbo quaecunque magna habentur et praeclara, efficere, inter opera magiae ab artis peritis collocantur. Cum autem intelligerent, fore ut in contemtum tandem prudentiorum adducerentur, ſi famulari hanc artem pravae mentis deſideriis profiterentur: eo denique deflexerunt, ut eſſe vilia haec omnia gloriarentur, eſſe praeſtantiora longe quorum poſſeſſione reddantur beatiſſimi, divinae nempe naturae, rerumque cunctarum ad Deum proxime accedentium contemplatione ſeſe fruentes, longe mortales cunctos, et mortalia cuncta infra pedes ſuos cernere abjecta.

CAP. II.

MAGIAE PARTES.

Magiae partes.

Quaenam itaque praecipuae ſint magiae partes, facile hinc colligitur; quot enim ſunt fines peculiares, quotque modis ad eos licet pervenire, tot ſunt magiae partes. Sufficit noſſe,

(*) Suidas voc. magia.



nosse, artem divinandi cum speciebus ejus admodum multis, morbos aut inferendi aut depellendi, genios evocandi et Alchimiam, praecipuas esse magiae partes.

Astrologia an sit magiae pars.

De harum nonnullis, aut partibus earum cum dubitatio suboriri facile queat, ad magiam pertineant nec ne: nonnihil adhuc videtur adjiciendum. Ac primo quidem loco dispiciamus de astrologia; quo nomine modo ars quaedam divinandi ex astrorum situ, modo ars ope spirituum astra moventium intelligendi recondita cuncta, divinandi, metalla mutandi, morbos sanandi, a magiae sectatoribus solet insigniri. Sensu posteriori quin jure referatur ad magiam, esse dubium nemini potest; priori autem astrologia non est ars magica, astra enim significare suapte natura ac Dei voluntate ab astrologis putantur ita quidem, ut observatione diuturna studioque indefesso, quid quilibet astrorum situs portendat, absque ulla genii alicujus ope aut ministerio sit intellectum. Idem de reliquis divinandi generibus sentiendum, quae quoties petuntur e rebus, quae natura portendere futura existimantur, ut studio ac industria assequi cuilibet eas liceat, ad magiam non sunt eferenda; quoties contra spirituum ministerio in iis est locus, idque ministerium caerimoniis quibusdam et verbis aut herbis existimatur parari, magica jure vocantur. Auguria itaque, extispicia, sortes, magiae partes non sunt, avibus enim, extis aliisque rebus vim significandi natura esse a Diis inditam, antiqui sibi persuadebant. Divinatio contra quae fit per exstasin, mente a genio extra corpus rapta, aut genii in animum illapsu, ubi arte est effecta, magica, ubi contra a genio sua sponte nos corripiente perficitur, nulla a nobis ad hoc ipsum adhibita opera, magica non vocatur.

Amuleta, talismanes, quatenus magici quid habeant?

De Amuletis, Talismanibus, pentaculis aliisque id genus quid jure statuatur, hinc facile etiam perspicitur. Vis enim, quae ipsis creditur inesse defendendi homines ab omni infortunio geniorumque infestorum incursu, morbos arcendi, amorem hominum aut benevolentiam conciliandi, si ab astrorum voluntate aut spirituum ministerio derivetur, idque fieri secundum certa artis praecepta putetur: magica sunt; sin minus, ad magiam non referuntur.

De iis, qui spiritibus utuntur familiaribus.

Denique quaeritur, an qui cum geniis dicuntur habere commercium, ut iis semper adsint spiritus et cum iis loquantur, magis sint annumerandi? Duplex horum esse hominum genus videtur, quorum aliud, de quo supra jam dictum, carminibus et formulis magicis aut sacrificiis alliciebat genios et ad familiaritatem secum ineundam pelliciebat. Hi magi jure omni dicuntur. Aliud contra, esse natura nos inter et genios amicitiam affirmat, cerni autem a nobis aut versari nobiscum spiritus non posse, quamdiu voluptatibus, honoribus, opibus, aliisque, quae pertinent ad corpus, quaerendis dediti, animi puritatem insuper habeamus. Esse autem in nobis sensum aliquem interiorem, qui animo a corpore sevocato recludatur, tum spiritus nobis fieri familiares. Videntur quidem hi, si verba attendas, omnia revocare ad leges naturae occultas et ab omni rerum naturae potestatem superantium studio abesse longissime; at cum iidem per amicitiam spirituum ea cupiant efficere, quae vires naturae experiundo cognitas superant, occulta et futura praevidere, intimam rerum naturam perspicere: eodem denique res redit, quo magia omnis tendit. Sunt itaque etiam hi magi dicendi; cui accedit, quod, an detur ejusmodi sensus interior, certis nec argumentis nec experientia est hucusque demonstratum, adeoque ipsa ejus recludendi ratio inter mira, quae superant naturae vim, jure refertur.

Cap. III.
DE ORIGINE MAGIAE.

E prima hominum barbarie repetenda magiae natalis.

Exposita magiae natura, ad originem ejus convertamus orationem. Artium cunctarum et litterarum a barbaris et incultis adhuc hominibus prima sunt fundamenta jacta, quique persequi singulas ad prima usque stamina voluerit, eum ad gentes feras primamque hominum infantiam oportet recurrere. Ut enim infantiam quisque suam excutit, quoties, qua ratione artem aliquam aut rei notitiam sit adeptus, cupit intelligere: ita ad barbararum nationum indolem est redeundum, quoties, qua ratione ars aliqua apud homines sit nata, cupimus explicare. Paucas esse gentes feras, quae prorsus careant hominibus quibusdam, affirmantibus familiaritatem intercedere sibi cum geniis ac spiritibus, quorum ope bene aut male aliis faciant, quos ad se vocare certis quibusdam caerimoniis valeant, id est magis, incantatoribus, veneficis, sagis; horum hominum praestigias ubique fere esse easdem; de magica herbarum, amuletorum, verborum vi ubique eadem fere nationes incultas sentire, praeclare simul ac eruditissime docet C. Meiners *), qui cum ingentem bibliothecae copiosissimae librorum a peregrinatoribus scriptorum numerum perlustrarit: nihil mihi, homini ab hoc lectionis genere parum instructo reliquit addendum. Hunc gentium fere cunctarum consensum manare a causa ubique fere eodem modo homines afficiente necesse est.


Moshemii de magiae ortu sententia.

Quod etsi nondum intelligeret Moshemius, vir doctissimus, ut qui legendis peregrinatorum libris operam non dederat, causam tamen pro eo quo erat ingenii acumine satis accurate in universum attulit. Populi, inquit, orientem spectantes, Chaldaei, Aegyptii et alii plerarumque rerum, quae in rerum natura eveniebant, causas et rationes ad Daemones retulerunt. Nec scientia naturalis, quae inter hos vigebat populos, aliud erat proprie, quam doctrina de Daemonibus, variisque eorum generibus, virtutibus, potestatibus et muneribus. Etenim, quicquid accidebat, ejus Daemon quidam auctor esse credebatur. Daemones erant apud eos herbis, arboribus, animalibus, corpori humano et singulis ejus partibus, et quibus rebus non? praefecti. Hinc, qui corporibus humanis eveniebant forte, morbos, daemonum unice malignorum virtuti, ut reliqua omnia nil dubitarunt hae gentes adscribi debere. Febre v. c. si quem laborare conspiciebant, non esse putabant magnopere quaerendum de mali hujus causis et originibus, daemonem enim in corpore miseri hominis latentem calamitatis omnis caput et causam esse, cujus vis unice sacris carminibus, et cantationibus barbarisque vocabulis frangenda sit. **) Praeclare vir ingeniosissimus magicae superstitionis causam mihi quidem videtur vidisse, et nihil aliud posteris reliquisse, quam ut auctoritatibus haec confirmarent simulque nonnulla explicatius docerent.

Barbari omnia esse deorum plena sibi persuadent.

Est ea gentium multarum, ignorantiae et barbariei tenebris oppressarum opinio, omnia esse geniorum ac spirituum plena, aerem, aquam, ignem daemonas incolere, Groenlandorum v. g. ***) Tensarum in Luisiana †); qui in America septemtrionali habitant,

*) Meiners Grundriss der Geschichte aller Religionen, cap. 18, 19.
**) Moshem. ad Cudw. syst. intell. T. II. p. 153. Lugd. Batav. 1773.
***) Cranz Geschichte von Grönland, Band I. p. 266.
†) Rec. de Voyag. au Nord T. V. p. 42.



bitant, Huronum *); qui ad Gangem sedes habent, in India orientali **) qui novam Galliam incolunt ***) Natcharum †) ac Moxarum ††). Plura facile afferantur ab eo, qui huic librorum generi legendo plus temporis impendit, sufficere tamen haec arbitror ad stabiliendum, non sine magna probabilitatis specie, ubique ferme gentium, quamdiu vigebat barbaries, hanc invaluisse opinionem, omnia esse geniis ac spiritibus plena, quin et quae vita carere nos existimamus, in iis animam aut genium delitescere.

Qua re adducti ita sentiant?

Causa quaenam sit hujus rei, primo intuitu adeo mirae ac fidem vix invenientis, ubi praemiserimus nonnulla intelligendae accuratius huic opinioni inservientia, magis perspicietur. Sagittarum ac arcuum animabus juvari sese in transfigendis bestiis, inesse cuivis rei genium, e cujus lubitu haec sibi aut obsit aut prosit, Tensae et Akansae Luisianam incolentes; †††) animam inesse iis praecipue rebus, quarum ignorant causam moventem, Americae septentrionalis incolae Hurones aliique; *) ignem esse anima vitaque praeditum, qui insulas Marianas habitant; **) omnem rem, quam qua ratione et quibus ex causis fiat non perspiciunt, genium et animam habere novam Franciam habitantes ***) sibi persuadent. Hinc intelligitur ea maxime ratione moveri barbaros, quae infantes etiam inducit in errorem, ut cui rei inest motus aliquid aut peculiaris efficientiae, eam esse animatam putent. Hujus porro erroris causa est animi quaedam, ex ipsa sentiendi, ac quae sensimus nobis repraesentandi facultate, manans propensio, qua nobis esse similia existimamus omnia, donec pluribus et accuratioribus edocti experientiis, discrimen inter ea et nos intercedens notamus. Nos vivere, sentire, ex animi proposito multa agere, ipsa nostri nos conscientia docet; res aliae an vivant nec ne ignoramus, nec primo statim obtutu intelligimus, sed multis demum experientiis discimus; cum igitur moveri eas aut alia efficere videamus, quae a consilio et sensu apud nos proficiscuntur: sensum iis et animam tribui jure posse concludimus. Ut enim e noto semper aestimatur ac dijudicatur ignotum, ita homines barbari, quamdiu rerum aliarum non perspiciunt naturam, ex seipsis eas dijudicant, regulamque Protagorae, hominem omnium esse rerum mensuram, adhibent ubique. Anthropomorphismi hujus latissime patentis qui nosse exempla cupit, eum reputare secum velim, quae de spirituum animarumque formis, de Dei ipsius figura, de vivendi ratione post obitum apud inferos, de Deorum vita ac beatitudine, gentes barbarae, quaeque his magnam partem aequipollet, plebs nostra solent existimare; reputare secum etiam, quae homines meliora dudum docti, quoties ab animi commotione vehementiori abripiuntur, solent agere, cum rebus sibi gratis, sed vita et sensu carentibus, loquendo, quod eos laesit praeter expectationem, quasi iram eorum sentiret, multis modis truncando, res vita carentes, ut auxilio sibi sint, rogando, quaeque alia ab iis etiam, qui ridere poetarum et infantium solent fictiones, invitis ac nesciis saepe perpetrantur. Intellecta igitur hujus rei causa, quin naturae ac imbecillitati hoc debeatur humanae non dubitabimus, indeque porro necesse prorsus esse, ut homines certum quendam cultus gradum adepti ita sentiant, opinionemque hanc gentibus cunctis certa quadam aetate fuisse communem,

*) Lafiteau Moeurs des sauvag. T. I. p. 145.
) Lettres edif. T. XIII. p. 167. *) Charlevoix hist. de la Nouv. France T. III. p. 346.
†) Ib. p. 424. ††) Recueil de quelques Voyag. a l' Amerique Meridion. T. III. p. 248, 249.
†††) Rec. de Voyag. au Nord T. V. p. 42, 266. *) Lafiteau Moeurs des sauvag. T. I. pag. 145.
**) Goguet de l' origin. des loix T. I. p. 72. Hambergerianae translationis.
***) Charlevoix hist. de la Nouv. Franc. T. III. p. 346.

munem, jure inferemus. Recepta ſemel hac opinione prono inde alveo fluit, omnia pro lubitu aut natura geniorum inſidentium, aut obeſſe nobis aut prodeſſe; atque ita factum, ut quae res non ſemper nocent ſed juvant ſaepe, iis ineſſe genius nec malus nec bonus, ſed medius putetur, qualem habitare ſagittas et arcus incolae Luiſianae ſibi perſuadent. Quaecunque autem ſemper proſunt nobis, iis bonus ac beneficus, quae contra nocent, iis malus ineſſe ac praeeſſe genius cenſetur; adeoque omnes fere gentes barbarae malum aut malos eſſe genios quam plurimos autumant. Quod ſi de nonnullis memoriae proditum apud peregrinatores non invenitur: id feſtinationi eorum aut incuriae aut linguae ignorantiae aliique hujusmodi cauſae judico adſcribendum. Mala vero, quae maxime homines vexant, genios habent peculiares; ſic Groenlandi bonum eſſe genium exiſtimant, apud quem omnis jucundi et boni eſt plurimum, et malum, qui, ne cum ſucceſſu piſcentur, ſolet impedire *); Hottentotti eſſe Deum aliquem malum, qui omnibus eos malis cruciare nunquam deſiſtat, morbis praecipue eos vexando; **) eadem, qui Americam incolunt ſeptentrionalem ***) Caraibae †) et Guianam habitantes ††) exiſtimant. Quae cum ita ſint; confugiendum in anguſtiis omnibus eſt ad genios: ſi morbum vis ſanare, genium aut hujus morbi aut morborum omnium auctorem invoca; ſi proſpere tibi cupis ſuccedere venationem, piſcationem aut aliud ejusmodi negotium, genium implora non bonum, is enim cum ſuapte natura ac ſponte benefaciat nobis, coli haud admodum poſtulat, ſed malum aut malos, ne noceant, hi enim, cum malis nos omnibus afficere ſemper ſtudeant, maximopere ſunt placandi, colendi, mitigandi. Ita ſentiunt Groenlandi, Hottentotti, incolae Guianae, Luiſianae, Caraibae, locis ſupra jam adductis, quibus apponere etiam licet alia, quae de Caraibis memoriae ſunt prodita. †††)

Precibus autem et votis cum effici, quod cupiunt, non ſemper videant; cumque cupiditate vehementiori commotus aut periculis magnis territus hominum animus, ad mira et inſolita ſemper feratur; geniosque delectari caerimoniis et cultu ſtudioſe et anxie quaeſitis eodem prorſus modo ſibi perſuadeat, quo homines, quo ſunt deteriores, eo majorem ex aliorum anxietate percipiunt voluptatem: relictis precibus, ad mirarum caerimoniarum confugiunt monſtra. Has caſu eventus nonnunquam ſequitur optatus, inde fit, ut magna ad placandos et deliniendos daemonas iis ineſſe vis exiſtimetur. Accedit, quod herbarum ope morbi caſu ſaepe curentur, adeoque herbas ad abigendos daemonas infeſtos, aut placandos praecipue judicent valere.

Barbari miris modis genios ſibi conciliant.

Hic error, ubi ſemel in animos hominum ſeſe inſinuavit, non deſunt, qui in ſuam eum convertunt utilitatem homines, initio decepti, deinde callide in errorem alios non ſine riſu inducentes, iique apud omnes fere gentes barbaras variis nominibus inſigniti inveniuntur, de quibus vide ſis quem ſupra laudavi Meiners V. Cl. librum. Sic ſunt apud Groenlandos, qui curare ſe aegros, futura boni Dei ope providere, malum genium ne obſit cogere; in Guiana, qui morbos ſe abigere daemonas malos ejiciendo; in Luiſiana, qui

Errorem callide alunt et augent veteratores.

*) Cranz Geſchichte von Grönland T. I. p. 258, 263.

**) Kolbe deſcript. du Cap. T. I. p. 187.

***) Berliniſche Sammlung der beſten Reiſebeſchreib. T. XI. p. 264.

†) Labat Voyage aux Isles de l' Amerique T. II. p. 123.

††) Göttingiſche Reiſen Th. II. p. 153.

†††) Hiſt. morale des Isles Antilles p. 415.

qui geniorum ope prosperum rerum omnium successum efficere, qui commercium sibi intercedere cum geniis, eosque pro lubitu posse se evocare profitentur.

Qui fiat, ut esse sibi cum geniis familiaritatem in animum inducant barbari.

Quod autem attinet ad daemonum evocationem; res ita sese habere videtur: insita est omnium hominum animis noscendi futuri cupiditas, eaque quo magis destituuntur prudentia, et ordinem causarum ignorant, quoque magis necessitates praesentes eos cogunt de futuro esse sollicitos, eo vehementior. Barbaros itaque quid futurum sit vehementissime cupere scire, prono hinc alveo manat. Iidem porro animis commoventur vehementius et vi imaginandi pollent majori, ut videre est apud omnes fere, qui gentes incultas adierunt. Accedit, quod discernere quae imaginantur a rebus sensu perceptis nesciunt, quo fit, ut somnia et febrium deliria ab iis pro vere habeantur visis, utque insani, furiosi, aliique id genus, sancti et a Deo aut genio putentur inspirati. Ejusmodi homines quoties vehementius imaginantur futura, aut praeteritorum afficiuntur desiderio, necesse est, quae sensu percipiunt interno non discernere ab iis, quae per sensus externos in animum penetrant, adeoque genios sibi apparere, futura sibi aperiri, et esse sibi cum daemonibus commercium, sibi persuadere. Hic mentis status cum caerimoniis quibusdam, fumo inebriante, agitatione corporis violenta, sensibusque per tympana strepitusque ingentes gignatur stupefactis: evocari daemonas, ac allici, commercium sibi esse cum spiritibus, aut spiritus esse sibi familiares, opinionis errore hinc concludunt.

In artis formam redigitur tandem magia.

Simul existunt homines, qui artem sanandi morbos geniorum auxilio, futura providendi, daemonas ad se vocandi, sibi vindicant; in artis formam redigitur superstitio vulgi. Quam eandem, ne vilescat, aut lucrum minuatur, maxime hi ipsi celant, aditumque ad eam multis molestissimisque muniunt caerimoniis. Sic igitur in artem abit, eamque secretam, magia.

Qui a traditione primorum humani generis parentum repetunt magiam, egregie falluntur.

Ne quis autem existimet, aliam esse magiae originem a traditione primorum parentum repetendam, ut volunt nonnulli: haec censeo reputanda, nihil esse nec in litteris sacris, nec in aliis fide dignis rerum gestarum monimentis, unde constet parentes primos majorem habuisse animi vim, qua ad nutum corpora movere, aut alia, quae superant vires naturae, potuerint efficere; libros porro sacros nihil afferre, unde colligatur jure, Deum aut angelos ad lubitum hominum primorum mira quaedam in rerum natura patrasse; adeoque totum id, quod de primorum parentum magica dici consuevit arte aut facultate, sine auctoritate idonea ab hominibus vanis esse confictum. Neque enim traditioni aut libro cuivis fides habenda, id pro certo tantum statuendum, quod sacrarum litterarum auctoritate de rebus adeo antiquis, et de quibus auctores reliqui omnes fide digni silent, confirmatur. Quod attinet autem ad consensum gentium, nihil hic nos, intellecta jam ejus causa, morabitur, nec concludi hinc traditionem quandam patietur. Accedit, quod quaecunque solent ad stabiliendam ejusmodi traditionem afferri alia, gentium multarum de deluvio quodam, de vitae primaevae beatitudine, de rerum omnium auctore persuasiones, aliis ex causis derivari commode possunt, ut adeo nihil sit amplius, unde traditio istiusmodi demonstretur, quam seculis prioribus, cum animi humani naturam haud satis nossent homines, invexit ignorantia. Denique fac, traditionis ope artem magicam esse propagatam; in servanda hac admodum fuisse homines necesse est curiosos, cum ab oriente ad occidentem, ab ultimo septentrione ad ultimam usque meridiem in praecipuis magiae capitibus et caerimoniis inter se consentiant, et quo sunt ferae magis gentes,

eo

eo major reperiatur consensus, non inter recentiores modo, sed antiquissimos etiam orbis terrarum populos; cumque quo magis a pristina receditur barbarie, eo major etiam oriatur in rebus magicis dissensus inter nationes. Repugnat hoc omnis traditionis naturae, ut quae, quo majori temporis intervallo a prima disjungitur origine, eo magis corrumpitur, proinde gentium hodie vigentium magiam aliam esse prorsus quam antiquarum necesse esset. Repugnat praeterea rebus aliis, quas servasse traditio fertur, cultui scilicet divino ac religionibus, ut quae magnas conceduntur subiisse mutationes ac penitus esse depravatae, cum magia contra uno fere eodemque habitu apud barbaros conspiciatur.

His addendum, quod, si magicas artes servasset traditio, idque adeo accurate et constanter: eadem servare et alia cum ea copulata debuisset, quorum tamen prorsus memoria est deleta. Debuisset namque apud barbaros omnes servari memoria harum etiam rerum: fuisse generis humani auctores ac parentes duos, hos miris corporis animique dotibus ornatos, magiae etiam scientiam a Deo accepisse, eam ob laesam ejus majestatem exceptis pauculis fragmentis rursus amisisse. Sed omnia haec ex animis hominum sunt deleta, auctores humani generis, a Deo sint creati, an e terra fungorum instar editi, multae ignorant gentes, plurimae suos parentes e limo vermium ritu generatos sibi persuadent.

PARS II.

DE MAGIAE AB ORIENTIS POPVLIS AD RELIQVOS PROPAGATIONE.

CAP. I.

DE MAGIA CHALDAEORVM.

Chaldaeorum de Diis opinio.

De Chaldaeorum magia, antiqua eoque ipso fide digna non exstant testimonia: pauca ac suspecta admodum a scriptoribus diu post Christum natum traduntur. Horum ut dijudicetur auctoritas; Chaldaeorum de Diis opiniones, quoad fieri potest, paucis enarremus. Chaldaei, Herodoto *) et Diodoro Siculo **) testibus, Iovis seu Beli sacerdotes, Belum ipsum nonnunquam nocte ingredi templum suum, ibique accedere ad mulierem, quam ipse legisset, quaeque sola noctem ageret in templo, narrabant. ***) Satis hinc arbitror apparere, eodem hos, quo antiquitatem cunctam, fuisse errore infectos, eademque existimasse de Diis, quae barbari fere omnes sibi persuadent, versari inter homines Deos et cum iis familiaritatem contrahere. Viguit porre apud eosdem error, quo plures esse Deos barbari omnes existimant, idque nomina eorum passim obvia satis demonstrant. De daemonibus autem et geniis quae eorum fuerit sententia, haud satis constat; nec a vero tamen abludit, quod post alios asserit Bruckerus, †) daemonas esse plures eos credidisse; licet quem laudat, Eusebius nihil ea de re tradat. Hos inter reperiri etiam malos et hominibus infestos quamquam e Iamblicho ††) et Arnobio †††) constet; (qui enim adducuntur a Bruckero, Porphyrius et Proclus nihil ea de re afferunt) probabile tamen existimo, cum eadem barbaris quamplurimis, ac nescio an omnibus insideat opinio; cumque hircorum hos gerere formam solere, doceat Seldenus. *)

Chaldaei herbis magicis utuntur.]

Quae cum ita sint, fidem iis facile adhibebimus, quae de Chaldaeorum magia a scriptoribus passim, sed parce admodum traduntur **). Herbarum ope incantationes, praestigias aliaque magica exercuisse Chaldaeos haud obscure innuit Galenus, Pamphilum quendam reprehendens, qui de herbarum virtutibus ita scripserat, ut fabulas hasce semper adjiceret, deque incantationibus et magicis formulis, miram herbis virtutem conciliantibus, multa narraret. Harum herbarum nomina esse Babylonica et Aegyptia dum simul adjicit, Chaldaeos ab hac superstione non fuisse immunes, satis prodit ***). Idem e Chaldaeorum libris narrat

*) Herod. I. cap. 181, 182. **) Diod. Sic. II. pag. 81. ***) Herod. l. c.

†) Bruck. Hist crit. phil. T. I. p. 133.

††) Iamblich. de myster. Aegypt. sect. III. c. 31. p. 102.

†††) Arnob. adv. gentes III. p. 79. Hamb. 1610.

*) Selden. de Diis Syris p. 38. **) Daniel c. 4. v. 4.

***) Galen. de simpl. medicament. facultat. IV. pro oem.

rat Moses Majemonis f., in tria nempe eos magiam capita dividere, quorum primum tractet de metallis, plantis et animalibus. *)

Cujus magiae ut intelligatur natura: de Chaldaeorum astrologia pauca sunt praemittenda. Divinandi ex astrorum situ et colore Chaldaei arte maxime inclaruerunt, indeque factum, ut astrologi apud veteres, Romanos maxime, Chaldaei dicerentur, idque apud ipsos etiam Hebraeos obtineret, ut pluribus sacrae litterae exemplis confirmant. Quae appellatio cum adeo late serpserit; Chaldaeis hanc artem deberi auctoribus, ab iisque ad reliquas manasse gentes, satis apparet. Chaldaeorum astrologia.


De qua etsi multi loquuntur veteres: nemo tamen accuratius indolem ejus est persecutus Sexto Empirico, qui contra Chaldaeos disputaturus, in compendium artis praecepta mittit. Nitebatur autem ea fundamentis his: astra habere vim efficiendi omnia in nostro terrarum orbe, ut non tempestates modo, anni vicissitudines, siccitates, aeris pestifera affectio, sed hominum etiam cogitationes et voluntates ab iis regerentur, adeoque ex astrorum situ, quo quis tempore edatur in lucem, quaenam ei sint eventura, liceat divinare **). Intelligitur hinc, divinationem Chaldaeorum ex astris nihil habere, quod referri ad magiam queat. Quod enim ex causarum natura proficiscitur et ordine, id supra naturae vires non est, adeoque ad magiam non pertinet. Existimabant porro Chaldaei, disci hanc artem diuturna observatione ac tradi aliis sine ulla geniorum aut spirituum ope, nihil ergo huic inest miri, nihil quod magiam innuat. Haec cum prioribus optime conciliat Plutarchus, planetarum alios beneficos alios maleficos esse referens, ***) ut adeo praeter astra eorumque genios seu animas, daemonas nullos videantur Chaldaei agnovisse. Astrologia Chaldaeorum abhorret a magia.

His tamen fundamentis magiae artem superstruxerunt Chaldaei, auctore Mose Majemonis f., qui solus curiosius haec exsequitur, cuique eo magis habenda fides, quod optime haec non modo inter se, sed et cum Galeni auctoritate consentiunt. Nullum, inquit, magicum opus sine siderum respectu et consideratione potest perfici; existimant enim, quamvis plantam suam habere stellam, quemadmodum et omnibus animalibus et metallis certa sidera adscribunt. Arbitrantur etiam, opera illa esse peculiares stellarum cultus, illasque tali actione, sermone vel fumo delectari, et ejus gratia quicquid optant, sibi praestare. †) His si jungamus gentium barbararum de astrorum natura opiniones; facile totam rem perspiciemus. Omnes a rationis cultura aversae adhuc gentes, quicquid movetur, praecipue quod movetur ita, ut causa motus non sit manifesta, quodque adeo sponte videtur moveri, id vivere animaque humanae simili esse praeditum sibi persuadent; viguit haec opinio apud gentes fere omnes antiquas, quin Graecos etiam, postquam philosophiae per aliquot jam secula operam navarant. Cum autem ab astris, sole praesertim, multa videant in terrarum orbe effici; Deos esse astra facile credunt, unde haud sine magna probabilitatis specie efficitur, astra Chaldaeorum fuisse numina summa. Cum autem nationes ferae omnes Deos sibi existiment esse similes, delectari et flecti caerimoniis, precibus, sacrificiis, alioque cultu: ad certas precandi formulas, ritus, gestus et Nihilo tamen secius ad artes magicas ab iis transfertur.

*) Mos. Majemon. f. More Nevochim, pars III. c. 37.

**) Sext. Emp. adv. Astrologos sect. 2. sqq.

***) Plut. de If. et Of. p. 370. †) Mos. Majem. More Nevochim p. III. c. 37.



et id genus alia sunt prolapsae, quibus peculiarem quandam a Diis impetrari vim et potestatem existimabant; indeque factum, ut Chaldaei omnem magicam vim derivari ab astris sibi persuaderent. Quod enim nullum opus magicum perfici sine astris posse autumabant, id hanc quasi habebat vim: ab astris, id est a Diis summis derivari potestatem aliquam, naturali majorem, in naturas terrestres posse, idque a Diis, certis quibusdam precibus, gestibus, et sacrificiis, quibus gaudeant, obtineri.

Magicae Chaldaeorum caerimoniae.

Haec satis produnt, quae de Chaldaeorum magia porro narrat Moses: prima, inquit, magiae pars versatur circa plantas, animalia et metalla, id est, exponit, quibusnam animalibus, plantis, et metallis in exercenda magia sit utendum; secunda consistit in circumscriptione et determinatione temporis, quo opera illa sunt facienda, id est, ut ego interpretor, quo coeli aspectu, qua constellatione singula sint agenda, praecipit; tertia consistit in gestibus et actionibus humanis, ut saltatione, manuum complosione, clamore, risu, cubatione, vel prona expansione super terram, rei alicujus combustione, fumi accensione, quorundam verborum denique sive intelligibilium sive non intelligibilium prolatione, id est, mea sententia, docet, quibusnam gestibus, verbis, sacrificiis divina vis in inferiora haec sit derivanda. Sunt quaedam opera magica, quae una tantum specie ex praedictis perfici posse arbitrantur. Atque de his dicunt, quod majori ex parte a mulieribus perficiantur, sicut de productione aquarum reperimus apud ipsos, si decem virgines se ornent, vestimenta rubra induant, saltent, ita, ut una alteram impellat, idque progrediendo et retrogrediendo, digitos denique versus solem certis signis extendant; ad finem perducta illa actione, aquas elici et prodire dicunt. Sic scribunt, si quatuor mulieres in tergo jaceant, et pedes suos cum complosione versus coelum extendant, certa verba, certos item gestus adhibeant, illas turpi hac actione grandinem decidentem avertere. *)

Chaldaeorum Talismanes.

Hinc non sine magna probabilitatis specie colligitur, Talismanum usum apud Chaldaeos jam obtinuisse. Sunt autem Talismanes, hominum aliarumve rerum simulacra, e metallis maximam partem facta, aut figurae et imagines quaedam, characteres aeri aut lapidibus incisi, idque sub certa constellatione, ut mira quaedam, et naturae vires superantia eveniant, praecipue mala arceantur, aut futura et ignota nobis horum ope aperiantur. Nec enim mali tantum avertendi, sed divinandi etiam causa fiunt Talismanes. Horum fabricandorum ratio hodie ex praeceptis astrologiae derivatur, eandem jam secutos Chaldaeos, aperte satis indicat Moses noster his verbis: sunt autem quaedam, quae non nisi his universis perficiuntur, ut cum dicunt: sumatur tale folium, de tali herba, idque cum luna est in tali gradu et loco; vel: sumatur de carne talis bestiae, vel de illius sudore, pilis, aut sanguine, haec vel illa mensura, quando sol est in medio coeli, aut alio aliquo certo loco; vel: capiatur *de tali metallo aut de pluribus metallis, liquefiant sub tali constellatione, et lunae constitutione, postea proferantur haec vel illa verba, tum hoc aut illud eveniet.* **) Haec enim est fabricandorum Talismanum ratio, ut metallum certo siderum positu liquefactum in certam redigatur figuram, aut certis etiam verbis virtutem suam adipiscatur. Solent tamen viri eruditi magnam Talismanum antiquitatem vocare in dubium, multis demum post veteres Chaldaeos seculis esse eos inventos existimantes. ***) Hi negare nihilominus nequeunt, a prima usque Chaldaeorum memoria exstitisse apud eos Teraphim, †) id est, ut Judaei omnes, et ipsae paginae sacrae locis aliis

*) Mos. Maj. l. c. **) Idem l. c.

***) Arpe de Talismanibus p. 8. †) Genes. 31. v. 19, 30.

aliis interpretantur; simulacra parva, quae edere oracula et occulta aut futura putabantur aperire *). Hos si Talismanum averruncando tantum malo adhibitorum sub genere contineri negas: ad meram de verbis disputationem rem omnem redigis. Sunt enim haec per se affinia adeo, ut sejungi se vix patiantur, cum divinatio omnis pertineat etiam ad arcendum infortunium; cumque, ubi sunt idola divinandi causa facta, ibi secundum probabilitatem sint etiam, quae mala averruncent. Cui accedit denique, quod amuletorum et deorum tutelarium usus inter omnes ferme gentes incultas viget, nec alterum horum genus abesse alterum patitur; causa enim in utroque invehendo est eadem. Occupabantur his magiae generibus exercendis, sacerdotum ordines tres, Aschaphim, id est excantatores; Mecaschephim, id est magi, et Chasdim, **) id est astrologi, nisi me omnia fallunt.

Ex omnibus his intelligitur, Chaldaeorum magiam totam fuisse astrologiae inaedificatam, idque peculiare est Chaldaeis, ut infra magis patebit. Necesse autem est, ut hoc ad rem universam pertinens praemittamus, magiam omnem cujuslibet gentis ad religionem et theologiam accommodari, utpote hinc prognatam et totam huic superstructam; ubi ergo astra praecipue coluntur, ibi astra etiam in praeceptis magiae et arte magica praecipuum tenent locum. Magiae Chaldaicae indoles.

Inter celebriores Chaldaeorum magos numerandus est procul dubio Dardanus, quem e Phoenicia esse oriundum refert Plinius, cujusque libros, adjectis Apollonii Captidenis scriptis, Democritus illustrarit. ***) Vetustos fuisse hos libros necesse est, ut quorum mentio jam fit a Columella, quique magnam nacti erant tum temporis auctoritatem. †) Nihilominus an aetatem attingant Democriti, vehementer dubito, tum quod parum mihi videtur probabile, Democritum adeo superstitionibus fuisse imbutum, tum etiam quod magorum semper fuit mos hominibus celeberrimis et antiquissimis libros affingendi, quos nunquam viderant, quorum enim ars omnis est impostura, eos haec etiam audere, nihil omnino mirum. Dardanus Chaldaeorum magus.

Cap. II.

DE MAGIA PERSARVM.

Post Chaldaeos orationem convertam ad Persas; hos praeter Oromasdem et Arimanium, deorum principes, multos esse daemones ab his procreatos, sibi persuasisse auctor est Plutarchus, eosque auctorum habere indolem, id est, tum bonos esse tum etiam malos. ††) Huic testimonio eo facilius fidem habebimus, quo magis veterum Persarum barbaries ei patrocinatur, quoque certius est, barbaros omnes deorum et geniorum ingentem existere numerum sibi persuadere. Astra autem Persas coluisse, aut Chaldaeorum instar divinationem astrologicam exercuisse, nullo veterum testimonio probatur, indeque totum hoc Chaldaicae theologiae caput ignotum illis prorsus fuisse, satis certo colligitur. Fac solem eos divinis affecisse honoribus, id quod nec auctoritate veterum nec probabilitate caret, vel ignis etiam cultui repugnat: reliqua tamen astra eos adorasse, legimus nuspiam; solius porro solis, lunae, quin nonnullorum etiam aliorum astrorum cultus, religio- Persarum Dii.

*) Selden. de Diis Syr. p. 97, 101.

**) Gatterers Weltgeschichte Th. I. p. 150. Götting. 1785.

***) Plin. Hist. nat. XXX, 1.

†) Columell. de re rust. X. p. 354. Lugd. 1541.

††) Plut. de If. et Of. T. II. p. 370. ed. Xyland.



ligionem nondum efficit astrologicam, si alia una cum iis adorentur numina, nec omnia et singula proficisci ab astrorum vi et situ existimentur.

Persarum magia.

Magia porro Persis adeo propria est, adeoque per alias inde gentes celebrata, ut nomen ex Perside traxerit. Hinc audacter Plinius: sine dubio, inquit, orta est magia in Perside a Zoroastre, ut inter auctores convenit, idemque magorum successiones bellum Trojanum longe superantes ex auctoribus aliis affert, *) quem Diogenes etiam Laërtius, pluribus motus testimoniis, quoadpraecipua sequitur capita. **) Hinc etsi adeo esse antiquam apud Persas magiam, ac volunt ejus defensores, non sequatur, esse tamen valde antiquam et inter Persas natam, satis recte concluditur. An primi autem Persae invenerint magiam, cognita demum ejus indole licebit dijudicare.

Magi Persarum erant sacerdotes.

Ut in Assyria ac Syria Chaldaei, ita in Perside magi, unde magiae ducta est vox, sacerdotio fungebantur; id quod adeo inter omnes constat, ut auctoritatum pondera nemo facile hic quaesierit. Erat ergo apud Persas magia certa Deos colendi ratio, unde Plato: reges, inquit, Persarum docentur magiam, quae Deorum est cultus. ***) Atque hoc ipsum est, quod inter barbaras nationes fere omnes obtinet, ubi magi aut sunt sacerdotes, aut in sacerdotes tandem abeunt, instituto cultu publico; quo facto ab his rursus distinguuntur, sacerdotum ordine non ferente alios praeter ipsi adscriptos, religionis decreta tractare, aut auctoritatem sibi aliquam in rebus divinis conciliare.

Divinationem magi exercebant.

Praeter sacrificiorum et precum ritus, alia eaque majora callere sese magi profitebantur; magi enim teste Clitarcho deorum cultui vacabant, sacrificiorum et precum rationem ita callebant, *ut solas sua audiri preces gloriarentur;* Deorum etiam qualis esset natura docebant; †) quibus adjicit Sotion asserere eosdem, sibi apparere Deos. ††) Ulterius adhuc progressus Plutarchus, magi, inquit, daemonum genus medio inter Deos et homines spatio collocant, idque jungere Deos cum hominibus affirmant. †††) Horum, tum deorum tum daemonum ope, divinationem magi exercebant, cujus artem praeter Ciceronem *) Sotion iis tribuit **). Hinc valida jam nascitur suspicio, a magia, qualem supra eam definivimus, magos non fuisse alienos; cum enim preces suas adeo efficaces esse contenderent, ut solae audirentur, cum insuper Deos et daemones sibi apparere gloriarentur, eorumque ope divinationem exercerent: verborum haec omnia, precum et sacrificiorum vi eos effecisse, satis hinc apparet. Quod ne cui videatur temere conclusum, disertis insuper testimoniis fulciemus; hostiis mactatis, carnibus divisis, magus accinit theogoniam, inquit Herodotus, hancque Persae vocant incantationem (ἐπαοιδην) ***) id est, nisi me omnia fallunt, hunc cantum eam existimant habere vim, ut dii evocentur ad fruendum sacrificio et audiendas sacrificantis preces.

Idem porro demonstratur.

Cum alium tamen sensum Herodoti verba ferant, age testimoniis aliorum rem eandem confirmemus, ac primo loco audiamus Plutarchum, Oromazae et Arimanio Zorastrem docuisse sacra, huic gratiarum agendarum, illi averruncandi causa facere, esseque haec hujusmodi: herba omomi nomine, dum in mortario contunditur, Arimanium et tenebras invocandas eamque mixtam lupi sanguine in locum a sole non collustratum esse abjici-

*) Plin. XXX. c. I. hist. nat. **) Laërt. prooem. sect. 2.

***) Plato Alcibiad. I. p. 441. ed. Ficin. †) Laërt. prooem. sect. 6.

††) Ib. sect. 7. †††) Plut. de Orac. def. p. 415. T. II.

*) Cic. de Div. I, c. 41. **) Laërt. prooem. sect. 7.

***) Herod. I. c. 132.

abjiciendam, narrantem. Plantarum enim alias bono, alias malo Deo, animalium item, canes v. g. aves, echinos terrestres, bono; aquatica, malo esse sacra *) Hinc intelligitur, magos animalibus et herbis vim quandam alliciendi aut fugandi daemonas tribuisse, quibus si adjiciamus theogoniam inter sacrificandum cantatam, de magica et herbarum et verborum certorum vi eo minus dubitabimus.

Magicam herbis Persae tribuebant vim.

Ne autem dubium hac de re supersit ullum, Plinium etiam audiamus e Democriti libris nonnulla de herbarum potestatibus, a magis derivata, afferentem; disertis autem verbis adjicit, Democritum haec a magis didicisse. Democritus, ait, post Pythagoram magorum studiosissimus, quanto portentosiora tradit? Aglaophotim herbam, quae ab admiratione hominum propter eximium colorem acceperit nomen, in marmoribus Africae nascentem Persico latere, qua de causa et marmaritim vocari. Magos utique ea uti, cum velint Deos evocare. Theangelida in Libano Syriae, Dicte Cretae montibus, et Babylone, et Susis Persidis nasci, qua pota Persae divinent **). Porro alio loco, Nyctagretum inter pauca miratus est Democritus, coloris ignei, praecipuam Gedrosiae narrat, erui post aequinoctium radicitus, siccarique ad lunam triginta diebus, ita lucere noctibus, magos Parthorumque reges uti hac herba ad vota suscipienda ***). Quamquam haec scripsisse Democritum Abderitem vix adducor, ut credam, sunt enim ab ejus philosophia maxime aliena, e libro tamen magnae vetustatis, quique summa probabilitatis specie Democriti se librum mentiebatur, haec existimo esse petita, eamque auctoritatem haud esse contemnendam. Ad hanc sententiam eo magis adhaeresco, quo manifestius idem Plinius loco laudato scripsisse et Pythagoram de magia, et herbarum magicis potestatibus, quas a Persarum magis didicisset, Pythagoram inquam, de quo vehementissime a peritis an scripserit quidquam dubitatur, quique, nisi omnis fallit similitudo veri, nunquam vidit magos, inductus in errorem affirmat. Praeterea eodem Plinio teste, Pythagorae hujus et Democriti auctoritate munito, miras alias magi virtutes herbis tribuebant, Heliochryso v. g. †) Aproxi aliisque, quae vide sis apud ipsum Plinium ††).

Persarum magia rationibus astrologicis non nititur.

Admodum similia haec sunt iis, quae vulgus, et praeter vulgus haud pauci etiam supra vulgus sapere se autumantes, de herbarum potestatibus secretis et magicis credunt firmissime. Nulla in his omnibus astrorum influxus mentio, nisi in admodum paucis, quae praeterii, quae autem astrologicas opiniones non innuunt, cum herbarum omnium maturitas ac vigor a certo anni tempore atque adeo astrorum, solis maxime efficacia pendeat, unde nonnunquam afferri quaedam astrologiae similia non est mirandum, nec inde statim astrologiae magos perinde ac Chaldaeos fuisse deditos, concludendum.

Magi Persarum carminibus Deos cogebant.


His praemissis Clemens Alexandrinus fidem facile inveniet, magos narrans gloriari, daemonas ipsorum impietati parere, sese eos in domesticorum numerum adscripsisse, carminibus et incantationibus ipsorum redactos in servitutem. †††) Accuratissime etsi ignorans, dubio procul Clemens genuinam magiae indolem attigit, nihil promittentem minus quam cogere Deos verborum, formularum aut rerum aliarum virtute velint nolint ad

*) Plutarch. de Is. et Os. p. 369. T. II.

) Plin. hist. nat. XXIV, 17. *) Ib. XXI, 11.

†) Ibid. ††) Ib. XXIV, 17.

†††) Clemens Alex. Admon. p. 39. ed. Sylburg. Colon. 1688.



ad praestanda, quae cupiunt magi. Fidem autem ut ei habeamus, facit Origenes, eadem fere de magis tradens: si igitur, inquit, possemus in praesentia naturam vocabulorum efficacium explanare, quibus utuntur Aegyptiorum sapientes aut Persarum magi — et possemus demonstrare, magiam quam vocant non esse rem vanam — diceremus potestatem habere haec nomina alia Aegyptiaca lingua, in genios quosdam, alia sermone Persico in genios alios. *)

Magi peculiari utuntur genere vivendi.

Quo autem magi digniores sese redderent, quibuscum versarentur Dii et daemones, vitae etiam rationem instituebant singularem; a vino animalibus et Venere abstinendo. **) Id quod auctoritate Symbuli accuratius ita distinguit Porphyrius, ut tria dicat esse magorum apud Persas genera, quorum primum ac summum ab animalium esu et caede plane abstinet; secundum animalium quidem carnibus utitur, sed mansuetis et domesticis parcit; tertium cum vulgo animalibus vescitur ***). Est autem institutum hoc Magis commune, cum omnibus barbararum gentium incantatoribus et praestigiatoribus, ut qui notante C. Meiners V. Cl. caerimoniis quibusdam, vestitu, aliisque segregare sese a vulgo student †) sive venerationis et auctoritatis majoris sibi conciliandae causa, sive persuasi ipsi, virum daemonum et deorum fruentem familiaritate peculiarem vitam debere sequi, sive etiam experientia docti, nulla re alia sensum adeo perverti tum communem tum phantasiam posse, ut, quae nulla sunt, cerni a se putent et audiri.

Divinandi genera magorum varia.

Quod adjicit his Strabo, Persas exercuisse Necyomantiam, Lecanomantiam et Hydromantiam, et fuisse qui artes hasce profiterentur, ††) a fide non est alienum; artes enim hae omnes daemonum ope aperire futura, aut abscondita student, quos carminibus evocare se posse gloriabantur magi. Qualis autem fuerit Necyomantia, satis inter omnes constat; praeterea commodus plura de ea dicendi locus invenietur infra. De Lecanomantia autem et Hydromantia, quarum nomina raro occurrunt, pauca videntur addenda. Lecanomantia fiebat, teste Psello, per pelvim aqua impletam, quam ingredi daemones carminum vi cogebantur, et sonos ibidem edere, quibus futura praedicebantur, et ad interrogata ab iis respondebatur. †††) In Hydromantia autem imagines seu umbrae Deorum evocabantur, ita ut in aqua conspicerentur, ibique, quod futurum esset, repraesentarent *). Persas eodem ferme modo has exercuisse divinandi artes a vero non abhorret, hacque explicatione eo magis nos oportet esse contentos, cum nihil, quod equidem sciam, reperiatur apud veteres, unde Persarum divinandi per aquam et pelvim ritus accurate intelligatur.

His aliorum non repugnant auctoritates.

Sic expedita haec satis forent, ni unum obstaret Aristotelis ac Dinonis testimonium, prorsus ignorasse Persas divinationem, seu ut alii legunt, magiam praestigiatricem (την γοητικην μαντειαν s. μαγειαν) affirmantium **). Huic eo magis advertere animum par est, quo major est Aristotelis in iis etiam, quae de veterum narrat religionibus, auctoritas.

Verum

*) Orig. contra Cels. I. p. 19. Cantabr. 1658.

**) Clem. Al. Strom. III. p. 446.

***) Porph. de abst. IV. p. 399. Lugd. 1620.

†) Meiners Grundr. der Geschichte aller Relig. C. 18. §. 2.

††) Strabo XVI. p. 1106. Amstel. 1707.

†††) Psell. de daemonibus p. 359. ed. Ficin. Lugd. 1577.

*) Salmas. ad Solin. p. 768. **) Laërt. prooem. s. 8.

Verum enimvero, quod attinet ad Necyomantiam, constare satis videtur, eam per omnem fere orientem temporibus remotissimis jam fuisse sparsam; meminit ejus Moses *), meminerunt alia sacrarum litterarum loca, unde intelligitur, Judaeos publice adeo operam ei dedisse, **) quare Persis ea abjudicari haud videtur posse. Maxime si adjiciam Augustini testimonium, Varronis longe se antiquioris et accurati antiquitatis investigatoris auctoritate fulti, quo diserte eam Persis tribuit, unde simul perspicitur, hydromantiam ante Numae Pompilii aetatem e Persia ad gentes alias esse delatam. Sic autem ille: Numa — hydromantiam facere compulsus est, ut in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes Daemonum; — Quod genus divinationis Varro a Persis dicit allatum, quo et ipsum Numam et postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat; ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari, et *νεκυομαντειαν* Graece dicit vocari ***). Haec si reputamus nobiscum, eo tandem adducimur, ut alium subesse Aristotelis verbis sensum, quam quem principio videntur habere, nobis persuadeamus.

Neque tamen hic is est, quem Platonici maxime recentiores iis tribuerunt, ut *γοητικη μαγεια* sit, quae malorum geniorum auxilio exercetur, haec enim accurate Aristotelis tempestate nondum distinguebantur; qua bonos inter et malos daemonas discrimen haud admodum Graecis innotuerat. Sed eo potius dirigendus animus, quo vulgaris vocabuli *γοης* significatio vocat. Praestigiatores *γοητες* dicebantur, qui artibus variis, ut res viderentur aliae ac essent, ipsarum interim non mutata natura, efficiebant, qui oculos hominum ita fascinabant, ut cernere veram rerum sive figuram sive colores non valerent, id quod e Sexto Empirico satis patet, qui praestigiatores efficere narrat, ut ellychnia modo aeris, modo nigrum habere colorem videantur. †) Erit ergo Aristoteli magia praestigiatrix, qua non verae sed *φαινομεναι* modo geniorum evocantur ac daemonum figurae, ut qui non adsunt, non loquuntur, adesse tamen et loqui videantur, quaque ita afficiuntur hominum oculi, ut mira, quae nuspiam sunt, cernant. Magia enim praestigiatrix, vera non est magia.

Quod si quis porro quaerat ex me, omnia haec magiae genera, uno eodemque tempore apud Persas, putem viguisse? simile esse vero respondeo, diversis ea temporibus aut inventa esse ibi, aut invecta; est enim hoc artibus humanis omnibus commune, ut temporis diuturnitate augeantur; ignorare tamen me penitus, utra magiae pars utri apud Persas successerit, cum ea de re plane sileant rerum gestarum scriptores. Haec magiae genera simul apud Persas viguisse, non est probabile.

Nec id affirmare etiam ausim, Persas magiae haec genera invenisse, ut quod nullis veterum testimoniis sat certis fulcitur. Quamquam enim, qui a Chaldaeis propagatam esse ad Persas magiam volunt, ††) egregie fallantur; inferre tamen inde nullo licet modo, Persas eam aliunde non derivasse. Persarum enim magia, cum nihil habeat, quod astrologiae sit affine, a Chaldaeis haud potuit manasse, nec qui laudatur Ammianus Marcellinus is est, cui in re adeo antiqua multum tribuatur. †††) Qui vero Zoroastrem contendunt invenisse magiam, omnium quidem veterum nituntur auctoritate, uno ore hanc ei laudem vindicantium, unde apud omnes etiam recentiores haec opinio invaluit; Nec satis etiam constat, primos magiae auctores esse Persas.

 sed


*) Deuteron. C. 18. v. 11. **) Conf. van Dale de Idolol. C. 10.

***) Augustin. de Civ. Dei VII, 35.

†) Sext. Pyrrhon. Hypotyp. I. c. 14. sect. 46.

††) Van Dale de Idolol. C. 3.

†††) Ammian. Marcellin. XXIII. p. 253. Paris. 1636.



sed ab omni nihilominus probabilitate aberrant longe. Si quis curiosius paullo inspexerit, quae de gentibus feris ac barbaris uno ore tradunt peregrinatores: magiam vigere ubique ferme, nullum tamen ejus prodi uspiam auctorem unum reperiet; si quis porro secum reputarit, quae de artis hujus origine supra attulimus: gentium eam deberi ignorantiae ac credulitati; nec posse unum aliquem virum ejus dici inventorem, intelliget. Lubens itaque in sententiam C. Meiners viri cl. eo, ita statuentis: vix negari posse puto, Zoroastrem magicam artem, quae ante illum velut mercenaria opera tractabatur, in justae quasi scientiae formam redegisse. *) Hinc, quare magiam invenisse veteribus dicatur Zoroaster, facile perspicitur; solet enim, qui artem aliquam aut scientiam magnopere auxit, aut in disciplinae formam redegit, ubi alius non exstat, cui tribuatur ejus origo, inventoris saepissime laudem ferre.

Magi Persarum celebriores.

Quo ipso factum est, ut Zoroastris nomen apud omnes deinde, omnium ferme gentium, Graecorum praecipue magos, in summa esset veneratione, eique libri haud pauci ab impostoribus suppositi adscriberentur, quorum, ut et reliquorum post Zoroastrem, apud Persas titulos consignatos, si lubet, videbis in libro de Talismanibus **). Inter sectatores Zoroastris celeberrimum adeptus est nomen Osthanes, cujus liber magno in pretio habebatur a magis. Ceterum suppositus illi procul dubio erat, nemo enim auctorum, qui ejus aetatem attigerunt vivendo, quicquam de eo narrat. Accedit, quod, quae ex eo traduntur a Minutio Felice, manifeste ab homine Platonico aut Platonicis affini sunt profecta. Sunt autem haec: Osthanes verum Deum merita majestate persequitur, et angelos, id est ministros et nuntios Deo ejusque venerationi narrat assistere, ut et nutu ipso et vultu Domini territi contremiscant. Idem etiam terrenos daemones prodidit, vagos humanitatis inimicos ***). Verum Deum profecto Persae, Xerxis aetate, ita non definiebant, ut placere homini Christiano descriptio potuerit. Adjicit e Cypriano Augustinus, formam veri Dei conspici non posse, et angelos sedi ejus assistere. †)

Cap. III.
DE MAGIA INDORUM.

Indi divinatione utebantur.

De Indorum magia etsi pauca tantum tradantur ab antiquis scriptoribus: haec tamen ipsa sufficiunt, ut exercuisse eos magiam, et eadem ferme, quae Persae et Chaldaei, factitasse intelligamus; id quod e similitudine Indorum veterum cum gentibus aliis barbaris sponte jam sequebatur. Ac primo quidem loco, ut initium faciam ab eo, quod auctoritate firmissima nititur, divinatione usos esse Indos constat, eo tamen a gentibus fere cunctis diversos, quod divinationem a privatis rebus excludentes plane, publicis tantum negotiis vindicabant ††). Qua in re aut errat Arrianus, aut posteri Indorum, divinationem in privatorum etiam negotiis adhibentes, praeter omnem probabilitatem majores superant superstitione. De ratione Indorum divinandi nihil constat, praeter unum, quod infra commemorabitur.

Indi magicam verborum virtutem agnoscebant.

Habet divinandi ars omnis, ut quae maximam partem fit geniorum aut Deorum ope, affinitatem cum magia, ut, ubi sit illa, esse etiam hanc magna cum similitudine veri

*) Commentationes Soc. Reg. scient. Goetting. per ann. 1778. volum. I. comment. hist. pag. 16.

**) Arpe de Talisman. p. 69, 71.

***) Minut. Felix Octav. cap. 26. Hal. 1726.

†) Cyprian. apud Augustin. contra Donatist. IV, C. 44. conf. Cyprian. de Idolorum vanitate.

††) Cic. de Div. I, 23. Arrian. Indic. p. 530. Amst. 1668.

ri inferatur. Quam conclusionem quod ad Indos satis esse veram, docent etiam, quae de Indorum sapientibus traduntur, eos deorum ope morbos curasse *). Facile nunc fidem habebimus Origeni, Brachmanas, verborum quorundam ope, mira patrasse narranti, **) unde simul constat, eadem, qua magos et Chaldaeos ratione, Gymnosophistas seu Brachmanas verbis inesse peculiarem quandam in evocandis Diis virtutem, sibi persuasisse.

Haec mendax ille vitae Apollonii scriptor Philostratus in immensum auget adeo, ut aequo cuilibet rerum aestimatori ridicula jure videantur. Narrat enim, Brachmanas habere dolia duo, e quorum altero pluviam, altero ventum emittant pro lubitu, ***) Homeri dolia forte imitatus; eos in aere sublimes duobus a terra cubitis sublatos ambulare; †) umbra sese aut nebula cingere, ut pluvia eos non madefaciat, nec sol urat; baculum eos gestare et annulum, quibus efficere cuncta queant. His additur tandem, quod nullo antiquioris scriptoris testimonio firmatur, Gymnosophistas, aut peculiare potius eorum genus, astrologiam et divinationem ex astris exercuisse ††). Videtur tamen his accedere pondus auctoritate viri satis antiqui, Aristotelis nimirum discipuli, Gymnosophistas magorum esse prosapiam asserentis †††). Nihilo tamen secius haec ut credam, adduci vix equidem possum: nimium enim inter se differunt Persarum et Indorum hodie etiamnum de natura Deorum opiniones et fabulae, quam ut utriusque gentis sacerdotes ex uno eodemque potuerint fonte haurire; in iis porro, quae de originibus gentium tradunt antiqui, parum eis plerumque fidei est habendum, quod suas saepissime opiniones et conjecturas pro rebus gestis venditant. Philostrati de magia Indorum mendacia.

Horum itaque populorum, de quibus disputatum hucusque est, magia nec ex uno fonte communi videtur manasse, nec etiam ab altero alteri tradita per manus. Id quod si ad animum revocemus, quae de magiae origine sunt dicta, tantum abest ut mirum cuiquam videatur, ut potius fieri aliter vix posse, jure nobis persuadeamus. Qui historiam magiae quaerit eam, quae e communi aliquo fonte originem artis repetat, tum quomodo inde ad reliquas usque orbis terrarum gentes sit propagata, doceat, is quod nuspiam nec est nec esse potest, quaerit; suam enim quaelibet gens, priusquam reliquis misceretur, sibi excogitavit magiam, aut si quam a majoribus forte aut aliis gentibus accepit, eam, quamdiu vagam degit vitam, squalore et ignorantia rerum antiquiorum obsitam, ad suas necessitates attemperavit ita, ut aliam plane formam indueret. Gentium orientis magiam ex uno manasse fonte, parum probabile.

Cap. IV.

DE MAGIA AEGYPTIORUM.

Ab orientis populis tempus jam est transeundi ad Aegyptios, quorum magia, cum ab antiquissimis inde temporibus magnam sit adepta celebritatem, accurate in eam ut inquiramus, postulat. Antiquissimus omnium, qui de hac magia scriptum quicquam reliquerunt, est Moses, qui Aegyptiorum magos incantationibus baculos in serpentes, *) aquam Magica verborum vis ab Aegyptiis defensa.

*) Arrian. Ind. p. 539. **) Origen. contr. Cels. p. 19.

***) Philostr. Vit. Apollon. III. c. 14. ed. Olear.

†) Ib. c. 15. ††) Clem. Al. Strom. III. p. 451. Phil. vit. Apoll. III. c. 41.

†††) Clearch. ap. Laert. I, 9. cf. Jons. de script. hist. phil. I, 18 1.

*) Exod. VII, v. 11, 12.



aquam Nili in sanguinem vertisse, *) ranarum denique numerum magnum procreasse **) scribit. Apparet inde Aegyptios credidisse, magica verba mutare etiam, quae in rerum natura sunt, quin et procreare animalia, id quod de Chaldaeis et Persis scriptum legitur, quod equidem sciam, nuspiam. Magnam hoc magicae artis apud Aegyptios videtur innuere antiquitatem, siquidem ars recens invecta, et qualis a barbaris fere hodiernis exercetur, contenta morbis curandis, futuris divinandis, ad mutandas rerum naturas sese accingere non audet. Praestigias istiusmodi tum demum aggrediuntur homines, cum usu diuturno, et otio, fallere imperitos didicerunt, cumque labans in morbis curandis, et futuris divinandis artis auctoritas, nova desiderat subsidia. Hominum enim simplicitas prima id modo respicit, quod utilitatem affert praesentem et vitae necessitatibus medetur. Pertinet ad id genus, quod de Aegyptiis, arte magica ipsis peculiari, aves de coelo deducentibus, et serpentes in latibulis incantantibus, facillimeque hinc extrahentibus memoriae prodidit Aelianus. ***)

Aegyptii morbos immitti incantationibus sibi persuadebant.

Erant praeterea Aegyptii in ea sententia, posse magicis quibusdam, seu carminibus seu caerimoniis, viros debilitari. Amasis enim cum frui amplexibus Ladices nequiret, impotentem sese ab ea redditum contendebat pertinacissime. †) Quae dum narrat Herodotus, fidem simul facit iis, quae ab aliis post eum de Aegyptiis, magiae auxilio morbos omnis generis curari existimantibus, memoriae sunt prodita.

Daemonum in exercenda magia partes.

Quam rem priusquam attingam, de magiae Aegyptiacae natura pauca sunt praemittenda. Praeter Deos genios esse multos, bonos maximam partem, sed malum tamen etiam, cui nomen sit Typhonis, malorum omnium auctorem, in opinionibus Aegyptiorum religiosis erat. ††) His daemonibus id muneris esse injunctum porro sibi persuadebant, ut homines conjungerent Diis, proinde cum daemonibus esse aliquid nobis commercii †††). Daemonas ergo certis nominibus posse cieri atque cogi invitos, ut appareant, si qui vocabula haec recte pronuncient, caerimoniasque alias diligenter observent, hinc inferebant. *)

Morborum curandorum ratio magica.

His denique addebant, morborum causas esse daemonas, morbos proinde sanari daemonum auxilio debere, verbaque et incantationum formulas maximam, immo unicam in curandis morbis vim habere. Operae est audire Origenem fusius haec persequentem, idque eo magis, quod unus, ni fallor, quicquam de iis scriptum reliquit, quod quidem nobis reliquum fecerit temporis injuria. E Celsi libro haec transscribit: ne res quidem minimas carere praeside daemone, ab Aegyptiis discimus, hominis corpus 36 daemonas sive Deos in aere degentes, inter se esse partitos, docentibus, sunt etiam, qui numerum hunc valde augeant. Horum daemonum afferunt nomina haec, Chnumen, Chnachumen, Cnât, Sicat, Biù, Erù, Erebiu, Rhamanor, Rheianor, et sic porro. Hos invocantes morbos sanant singularum corporis partium **). Adjicit deinde, invocari a solis Aegyptiorum magis hos daemonas. ***) Erant ergo in eadem opinione Aegyptii,

*) Exod. VII, v. 22. **) Ib. c. VIII. v. 7.

***) Aelian. de Animalibus VI, 33.

†) Herodot. II. c. 181.

††) Plut. de Is. et Osir. p. 361. T. II. de Orac. def. p. 415. ibid.

†††) Plut. de Orac. def. p. 415. T. II.

*) Orig. contr. Cels. p. 19.

) Orig. adv. Cels. L. VIII. p. 416. *) Ibid. p. 417.

tii, in qua antiquitas fere omnis fuit, et hodie pars haud exigua gentium ferarum adhuc eſt, morbos omnes a daemonibus proficisci malis, adeoque auxilio bonorum, malos pellentium, eſſe ſanandos. Nec videri id alienum debet a ſapientia gentis adeo inter Graecos celebrata, quae qualis fuerit, intelligitur vel inde, quod Herodoti adhuc aetate ignem credebant eſſe beſtiam, quae res alias devoret, ſatiataque ipſa tandem morti ſuccumbat.*)

De magico herbarum uſu.

Is cum fuerit medicinae apud Aegyptios ſtatus, herbarum etiam ope magiam eos exercuiſſe, praecipue in ſanandis morbis magicis herbis uſos, ſponte hinc ſatis ſequeretur; ni Galenus inſuper auctoritate id ſua confirmaret, pleraque inquiens herbarum nomina, quae a medicis adhibebantur, et in quibus legendis aut applicandis, incantationibus aliisque ſuperſtitionibus magicis utebantur, ſunt Aegyptiaca **). Cui calculum addit Plinius, cynocephaliam herbam, quae in Aegypto vocaretur oſyritis, divinam eſſe narrans, et contra omnia veneficia, ſed ſi ea erueretur, ſtatim eum, qui eruiſſet, mori ***). Nec aliud forte ſenſit Homerus, Nepenthes, quod Helena praebet Menelao bibendum, plurimum inquit valere ad triſtitiam omnem abigendam, hilaritatemque animo conciliandam, idque ex Aegypto eſſe petitum, ut quae feraciſſima ſit omnis generis medicamentorum, ſalubrium non minus quam mortiferorum. †) Pharmacorum enim, quo utitur, vocabulo remedia etiam magica intelligebantur, ut infra patebit.

Aegyptiorum Taliſmanes.

His accedit magiae genus, Chaldaeorum taliſmanibus affine, amuleta, quorum uſum Aegyptios non ignoraſſe, multa ſunt argumento, quae quamquam ſatis antiquitatis non habeant, numero tamen et mumiarum ſigillis haud exiguum nanciſcuntur pondus. Bellicoſos, id eſt milites, ſcarabaeum annulo habuiſſe inſculptum, Plutarchus, ††) judices veritatis imaginem in ſmaragdo expreſſam in collo geſtaſſe, ſcribit Aelianus. †††) In his autem amuleti vim fuiſſe aliquam probabile eſt, maxime ſi reputemus nobiſcum, quae de Jaſpide viridi ſcribit Aetius: quosdam ex praecepto Necepſi draconem radios habentem in eo inſculpere et in annulis geſtare, eumque praeter alia, amuleti inſtar prodeſſe etiam ventriculo. *) Objicit Aegyptiis Vopiſcus, Hadriani utens auctoritate, eos eſſe medicos, idque cum ſit vituperii loco poſitum, Caſaubonus interpretatur, qui medicinae artem in carmina, periapta, et id genus magica remedia vertant **).

Aſtrologia Aegyptiorum.

Commune cum Babyloniis a remotiſſima inde antiquitate fuit Aegyptiis aſtronomiae ſtudium, cui deditos eos vehementer fuiſſe prae ceteris auctor etiam eſt Ariſtoteles. ***) Communis hinc forte fuit aſtrologia, cui deditos fuiſſe Aegyptios, refert Diodorus Siculus †) ac poſt eum Lucianus, ††) ut alios brevitatis cauſa omittam. Res enim ſatis apud veteres conſtat, idque Herodoti, qui primus fuiſſet nominandus, patet etiam

*) Herod. III. c. 16. **) Galen. de ſimpl. medicament. facult. VI. prooem.

***) Plin. hiſt. natur. XXX, 2.

†) Homer. Odyſſ. IV. v. 226. ††) Plut. de Iſ. et Oſ. p. 355.

†††) Aelian. V. hiſt. XIV. c. 34.

*) Aet. tetrabibl. colum. 84. Lugdun. 1549.

**) Vopiſcus in Saturnino p. 959. Lugd. Bat. 1661.

***) Ariſtot. de Coel. II, 12.

†) Diod. Sic. I, p. 6.

††) Lucian. de Aſtrolog. p. 243. T. III. Baſil. 1563.

D

etiam teſtimonio, unde ſimul, ſatis antiquam eſſe apud Aegyptios aſtrologiam apparet; de qua haec habet: Aegyptii excogitarunt etiam, cuinam Deo dies quilibet eſſet ſacer, quaenam ſint homini cuilibet eventura, ſi hoc vel illo die in lucem ſit editus, quali mortis genere ſit periturus, et quale ejus ſit ingenium futurum. *) Haec de aſtrologia quin ſint intelligenda, neminem puto dubitaturum, qui ſecum reputat ad γενεθλιαλογιαν pertinere, e die cujusvis natali omnia ejus fata praedicere. Quare autem ad aſtrologicas ſuperſtitiones delata ſit gens utraque, ratio reddi ſatis probabilis poteſt: aſtra deorum inſtar colebat utraque; aſtra plurima in infima hac ſub luna regione cernebat efficere, eoque factum, ut ex aſtrorum ſitu praedicere ſeſe omnia poſſe ſibi perſuaderent, inſita humano ingenio propenſione concludendi e paucis quibusdam experiundo cognitis, cetera omnia eodem ſeſe modo habere. An autem Aegyptii aſtrologiam transtulerint etiam ad magiam, diſertis quidem, quod ſciam, veterum teſtimoniis nec affirmatur nec negatur. Probabile tamen hoc eſt reputanti ſecum, quae ex Aetio modo adduxi, e Necepſo ſcriptore Aegyptio haec deſumente, inſculpendam eſſe jaſpidi imaginem draconis, ut amuleti exſereret vim. Jam quare draconis imago tantum lapidi virium indat, cauſa vix afferri alia poteſt, quam quod eſt imago draconis coeleſtis, efficaciamque a ſideribus derivat.

Magia Chaldaeorum et Aegyptiorum communem non agnoſcunt fontem.

Cum ergo ex parte ſimilis ſit Aegyptiorum magia Chaldaicae: alteram manaſſe ex altera, et quidem, ut Marſham V. Cl. **) ſequens Diodorum Siculum ***) ſibi perſuadet, Chaldaicam ex Aegyptia, facile hinc inferretur. Sed obſtat tamen, quo minus meam faciam hanc ſententiam, quod apud Moſen Chaldaeorum nomen, non infrequens alioquin apud Hebraeos, quoque aſtrologos inſigniunt, legitur nuſpiam. Quodſi Moſi in Aegypto maximam aetatis partem degenti, et in Aegyptiorum omni diſciplina erudito, innotuiſſet id vocabulum, uſus procul dubio eodem fuiſſet; ſequitur inde, Aegyptios tum temporis Chaldaeorum adhuc ignoraſſe artes aſtrologicas, alias gens vana, quaeque reliquarum omnium videri cupiebat magiſtra, ambabus id manibus arripuiſſet, ſibique inventionis laudem vindicaſſet. Accedit, quod aſtrologia a Chaldaeis, unde ad reliquas ars eſt propagata nationes, nomen accepit, ab Aegyptiis id derivatura, ſi primi ejus magiſtri hi exſtitiſſent; quod ut fieret, Aegyptiorum vanitas omni procul dubio virium contentione fuiſſet adniſura. Vero itaque ſimillimum mihi quidem videtur, gentem utramque e cauſis iisdem ad hanc vanitatem eſſe delatam.

Alia magiae genera apud Aegyptios.

Cum in Aegypto maximam aetatis partem degerit Moſes, praeter Aegyptum alias Orientis regiones raro adierit: probabile eſt, eum, quoties ſuperſtitionibus populo Iſraelitico interdicit, Aegyptios maxime reſpicere. Cui accedit, quod in exordio aut epilogo ipſarum, quibus nefaria multa vetantur, legum, diſerte Aegyptiorum et Cananaeorum facit mentionem, de his quae fama ferebat, aut conjectura aſſequebatur, de illis quae experientia docuerat, commemorans, adeoque illos etiam praecipue habens in animo †). Sequitur hinc, fuiſſe in Aegypto ſagas etiam et veneficas, ††) de quibus probabile eſt eadem exiſtimaſſe Aegyptios, quae barbari hodie de vetulis ſentiunt, eſſe eas maleficas, invidiaque ductas ſemper nocere, morbos inferendo, pecora faſcinando, aliaque ejusmodi nefaria patrando. Probabile porro eſt, exſtitiſſe etiam in Aegypto Necyomantiam, qua diſertis Moſes verbis Hebraeos jubet abſtinere. †††) Quod attinet autem ad eos, qui in eligendis diebus

*) Herod. II c. 82. **) Marſham. Can. Chron. p. 142.

***) Diod. Sicul. I, c. 3. †) Levit. 18, 3. Deuter. 18, 9.

††) Exod. 22, 18. †††) Deuter. 18, 11.

diebus sunt curiosi, saepius a Mose commemorati: *) intelliguntur dubio procul qui astrologicis superstitionibus adducti, certos quosdam dies negotio cuilibet prae ceteris esse aptos, in animum inducebant, aut ex astris posse, quinam dies fausti sint, intelligi. Nimirum magiam habere vim in rebus divinis rite celebrandis, adeoque Diis etiam eliciendis aut nobis conciliandis, ut adjuvent nos in magicis artificiis, Aegyptii sibi persuadebant. Sic celebrantes Pamylitia circumferebant phallum triplicem. **) Faciebant porro medicinam e sedecim herbis, verba quaedam admurmurantes, id est incantationes, et ipsi numero vim aliquam tribuentes. ***) In figuris quin etiam geometricis nonnihil latere virium mirificarum autumabant. †) Qua ratione autem his in arte magica sint usi, non constat. Ortum est hoc superstitionis genus inde, quod cernebant homines rerum naturae ignari, multa certo annorum, mensium, dierum numero absolvi aut perire, esse in morbis multis dies quosdam criticos, multa certis temporibus redire; hinc numeris ipsis hanc vim tribuerunt, quod enim primum occurrit animo causas alicujus rei quaerenti, id fere semper arripitur, causaeque fert honorem. Hinc apud Sinenses, apud plebem nostram, non aliunde haec doctam, iidem fere de numerorum potestatibus vigent errores.

Celebriores Aegyptiorum magi fuere Jannes et Jambres, hi ipsi, qui Mosen artibus suis impugnarunt ††). Horum nomine inscriptus circumferebatur liber secretus, unde Paulum apostolum hausisse, quae modo adduximus, affirmat Origenes. †††) Sed vero mihi videtur simile, suppositum eis esse hunc foetum sub aetatem J. Christi, qua superstitiones hujusmodi maxime vigebant, et librorum antiquitate ficta auctoritatem iis conciliare vehementer studebant impostores. His additur Necepsos Aegypti rex et Petosiris, quorum itidem libri astrologici maximeque reconditi passim circumambulabant, quique, qua ratione astrorum ope magia sit exercenda, docebant; Siquidem Necepsos draconem radios habentem insculptum jaspidi, collo suspensum, ita ut contingeret ventriculum, mire ei prodesse libro XIV. scripserat: quod ridet Galenus, dracone nihil esse opus affirmans *). Idem plura alia commemoraverat remedia, nec magica tamen omnia, **) ut adeo medicinae miscuisse magica, jure primus censeatur fortasse, etsi hanc laudem Andreae vindicet Galenus ob id forte, quod arte et professione is medicus censebatur. Praeter hos, Jachim aut Jachen, Suidas sacrum fuisse scribam narrat, virum artis magicae, amuletorum praecipue et incantationum, quibus sanarentur morbi, peritissimum, de quibus etiam scriptum aliquid reliquerit, eundem pestem etiam expulisse. Floruisse regnante Senye aut, quem alio loco nominat, Eveno. ***) Neutrius nomen cum existat apud Marshamum et Petavium, aut alibi me legere meminerim: de aetate hujus viri nil ausim affirmare. De his fuse satis agit V. Cl. Marsham. †) Hi libri perierunt omnes praeter Petosiridis librum, qui latere adhuc in bibliothecis quibusdam dicitur. ††) Ceterum cum horum librorum vetustior

Magi Aegyptiorum praecipui.

*) Deut. 18, 10. **) Plutarch. de Is. et Os. p. 365, T. II.
***) Ib. p. 383. †) Ib. p. 381.
††) 2 Tim. 3. v. 8. Euseb. praep. Ev. IX, 8. e Numenio Pythagoreo.
†††) Orig. Tract. in Matthaeum. 35. p. 193. Basil. 1571.

*) Gal. de simpl. IX, c. 26. **) Aet. tetrabibl. l. I, serm. 2, c. 19, 47. serm. I. art. Anthem.
***) Suidas Jachen et ιερογραμματεις.
†) Marsham Canon. chron. p. 474. sqq.
††) Ibid. p. 477.

ſtior paullo et fide dignior mentionem faciat nemo, ut genuinos eſſe eos, aut admodum antiquos credam, nullo a me modo poſſum impetrare. Praeter hos celebres ſunt inter Aegyptiorum magos Typhon etiam, Damigeron, Nectabis, et Berenice, *) quorum nomina ipſa gentem ſatis produnt. Quem in medio horum collocat Tertullianus, et Laurentius de la Barre in notis, Aegyptium etiam eſſe pronuntiat, is teſte Plinio Phoeniciae eſt vindicandus, **) ut adeo Chaldaeis aut Babyloniis ſit annumerandus. Videntur et hi ſcriptum aliquid reliquiſſe, quod tamen periit funditus.

Cap. V.

DE MAGIA GRAECORVM VETVSTISSIMA.

Ab antiquiſſimis inde temporibus Graeci magiae inveniuntur dediti.

Fuiſſe apud Graecos a vetuſtiſſimis inde temporibus magiam, auctor eſt Homerus, nonnulla jam ejus genera commemorans. In his nobiliſſima eſt Necyomantia, quam fuſe ſatis perſequitur in Odyſſea, ubi Ulyſſes a Circis ſede trajicit in aliam Italiae regionem, ut Tireſiae vatis Thebani animam eliciat. Itinere enim unius diei ad Cimmerios pervenit, unde ſatis conſtat haud longe eos abfuiſſe ab ea Italiae parte, in qua degebat Circe; cui accedit, quod Strabo e plurium veterum conſenſu haud longo a Cumis ſpatio hunc locum fuiſſe disjunctum narrat, ſimulque exſtitiſſe ibi mortuorum oraculum temporibus priſcis adjicit. ***) Quod ut credam, eo magis inclinat animus, quod ſatis conſtat apud diligentes Homeri lectores, ſequi eum traditiones, ac famam ſui aevi, nec quod ſolent poetae ſeriores, in fingendis ejusmodi rebus genio indulgere. Praeterea alienum hoc eſſe a priſcae poeſeos indole videtur; quae in narrandis rebus geſtis, ſervandisque majorum traditionibus occupatur, nec mira aut ad movendam admirationem idonea fingit, id quod ſuperfluum etiam foret, cum prima hominum ſimplicitas rebus miris ſatis ſit referta, ſoleatque, quae ſecundum naturae ordinem fiunt, ex ignoratione cauſarum in mira mutare. Haec mecum reputans facile adducor ut credam fuiſſe tum temporis in Italia ad lacum Avernum mortuorum oraculum, fama per Graeciam jam celebratum, idque eo magis, cum ipſa loci natura eo duceret homines, exhalationes terrae graves, ac ſulphuris plenas, quibus ſuffocarentur animalia, aut aves propius juſto accedentes, quarum indolem ignorabant, Plutoni ac inferis tribuentes. Ubicunque enim ſubito cernebant animalia exanimari, ibi a Plutone ea rapi, ibique eſſe ad inferos deſcenſum, non poterant non inducere in animum, ut qui mortem omnem ad Plutonem referebant auctorem.

Manes qua ratione eliciebantur.

Eſt autem ratio animas mortuorum eliciendi apud Homerum hujusmodi: ſcrobem Ulyſſes gladio fodit in ipſa terrae ſuperficie manens, non in Plutonia regna deſcendens Aeneae inſtar apud Virgilium aut heroum aliorum, quos ad ipſum acceſſiſſe Plutonem, ſubeundo terrae aliquem hiatum, fama fert. Effoſſae ſcrobi, cubitum quaquaverſum patenti, infundit Ulyſſes libationem ter, ac primo quidem mulſo, deinde vino, denique aqua, addita farina, inter ſe miſtis. Poſt libationem vota ſuſcipit et preces fundit: ſeſe, ubi primum in patriam redierit, manibus ſterilem vaccam opimam in domo ſua ſacrificatu-

*) Tertullian. de anim. cap. 33. Pariſ. 1580.

**) Plin. hiſt. nat. XXX, 1.

***) Strabo V. p. 374.

ficaturum, Tiresiae seorsim arietem nigrum, totius gregis praestantissimum. Inde pecora, secum adducta, id est arietem et ovem nigros *) jugulat, ut sanguis in scrobem manet, quo percepto statim animae mortuorum gregatim accurrunt. **) Nihil in omni hoc sacrificio est secreti, nulla verba magica, nulli susurri, nullae etiam peculiares precum formulae, omnia perpetrantur eodem fere modo, quo diis aliis fiebant sacra, exceptis pecudibus nigris, diis inferis semper mactari solitis. Quodsi ex Oriente haec derivasset Homerus, aut Aegypto, ubi in secreto haec tractabantur, nec sine peculiaribus caerimoniis et verborum absconditorum pronuntiatione; aliter haec ornasset, eodem fere modo, quo solent poetae seriores, qui de caerimoniis magicis ad evocandos manes aliquid jam inaudierant.

His addamus, Homerum non adiisse Aegyptum, et quoties Nili aut Thebarum facit mentionem, tamquam de re longo spatio distante ac parum sibi cognita loqui, qui si Aegyptum vidisset ipsam, magnificentius longe, et ad admirationem movendam aptius, de ea scriberet. Regiones praeterea ultra Troadem et Asiam minorem sitas, exceptis mediterranei maris oris, parum habuit cognitas, de Memnone enim ita canit ambigue, ut, ex Asia eum velit oriundum an ex Africa, vix intelligas; Persarum autem meminit nuspiam. In ea autem regione Asiae, quam peragraverat ipse, et ubi bellum Trojanum est gestum, fuisse tum temporis oraculum mortuorum, aut divinationem ope mortuorum, non legitur; ejusque etiam Homerus, licet alia divinationum genera carmini inferens, mentionem facit nullam.

Ex Aegypto aut Perside haec non petiit Homerus.

Haec omnia qui secum considerarit, eum vehementer existimo dubitaturum, an necyomantiam ex Asia in Italiam fingendo transtulerit Homerus; quin proniorem potius futurum ad largiendum mihi, in ipsa Italia antiquitus exstitisse oraculum hujusmodi, proinde Graecos necyomantiam ex Asia aut Aegypto non petiisse. Neque enim quemquam puto in animum inducturum, qui ex Aegypto in Graeciam commigrarunt temporibus vetustissimis, hoc divinandi genus secum attulisse, cum in locis, ubi consederunt hi, mortuorum oracula non legantur exstitisse. His fidem habentes non magnopere conturbabit Varronis apud Augustinum auctoritas, necyomantiam a Persis allatam asserentis, ***) ut quae huic sententiae non repugnat. Homeri Necyia non est magicae indolis, cum sit ritus quidam Diis inferis sacra faciendi, idem qui publice a sacerdotibus observabatur; Varro autem necyomantiam dubio procul intellexit magicam, id est caerimonias reconditas et formulas una cum apparatu alio, ex Asia aut Aegypto dubio procul allatas. Ideo tamen nihilominus notatu est digna Homeri Necyia, quod magicarum omnium caerimoniarum continet principium et fundamentum; barbari namque et simplices homines initio persuaserant sibi dubio procul, posse manes eodem elici modo, quo Dii alii vocarentur; cumque id non fieri intelligerent deinde; ad ritus singulares caerimoniasque reconditas et insolitas confugerunt, sicque Deorum manium cultum in sacra tandem magica mutarunt.

Huic non obstat auctoritas Augustini.

Praeter oraculum mortuorum in Italia, exstitit etiam aliud in Epiro ad Avernum fluvium, antiquitatis certae plurimum habens, ut quod Periandri jam aetate florebat, †) id

Quin aliis mortuorum oraculis confirmatur idem.

*) Hom. Odyss. X. v. 572.

**) —— Odyss. XI. v. 36.

***) Augustin. de Civ. Dei VII, 35.

†) Herodot. V, c. 92.

id est ante tempestatem, qua Persae eorumque artes magicae Graeciam invaserunt. Quin et, si fides traditionibus habenda, Homero ipso fertur antiquius, Orpheo jam ibi de uxore Eurydice sciscitante *). Esse autem antiquissimam hanc de Orpheo traditionem, intelligitur vel inde, quod apud omnes poetas Orphei ad inferos descensus celebratur. Quibus si adjeceris, eadem de aliis etiam antiquissimis Graeciae heroibus, maxime qui sub tempora Trojana, aut expeditionem Argonautarum vixerunt, solere a poetis, populi opiniones sequentibus, dici; si porro tecum reputaveris, descendere ad inferos nihil revera esse aliud, quam responsum ab oraculo mortuorum petere (id enim dicebant veteres teste Homero Plutonem aut Plutonis domum adire **): quin Homeri aetate, et ante Homerum plura exstiterint mortuorum oracula apud Graecos, nullus dubitabis. Est porro oraculum Epiroticum eo situm loco, ad quem Aegyptii aut Orientis coloni non accesserunt. Fuit etiam ipso jam Persici belli tempore celebre mortuorum oraculum Heracleae in Thracia, ad quod confugit Pausanias, umbram puellae se infestantem placaturus, quae ipsi etiam apparens per ambages, quae Lacedaemone ei post evenerunt, est vaticinata ***). Alii Phigaleas eum in Arcadiam concessisse, umbrae evocandae causa narrant. †) Quodsi quis quaerat, an ex sedibus antiquissimis secum Graeci advexerint necyomantiam aliaque magiae genera, probabile id esse omnino, licet certis non constet auctoritatibus, judico respondendum. Superstitiones enim nonnullas quaelibet gens secum e solo natali primo affert; quaenam autem sint illae, deficientibus per secula rudia rerum gestarum scriptoribus, conjectura tantum licet deinde assequi.

Homines verti in bestias magiae ope Graeci crediderunt.

In harum numerum referendum forte est aliud etiam magiae genus, quod homines vertebat in varias bestiarum figuras, idque venenorum auxilio. Circa aedes namque Circes versari ursos, narrat Ulysses, leones, et lupos, venenis in hanc figuram mutatos; eandem sociis haec venena pani immista porrexisse, unde in sues versi, postquam Circes virga eos contigisset ††). Venena autem haec ex herbis fuisse confecta, intelligitur inde, quod herba alia, cui Moly erat nomen, Mercurius Ulyssem ab infortunio eodem munit, quam herbam erui aut evelli ab hominibus vix posse, addit Ulysses. †††) Non ignorabat ergo ea tempestate magiam, quae herbarum exercetur viribus, Graecia. Praeter herbas, magna etiam vis virgae seu baculo Circes videtur inhaesisse, hoc enim feriebat, quos hausto veneno in bestias cupiebat mutare; de verbis magicis aut susurro, de astrorum in herbas potestate, aliisque, quae ab Orientis et Aegypti magis celebrabantur, Homerus nihil adjicit. Homero adjungamus Hesiodum polio magnam tribuentem vim ad mala omnia averruncanda, instar amuleti, quae eadem docuisse jam Musaeus auctore Theophrasto ferebatur. *) Quod etsi falsum existimetur, cum vix ullus Musaei genuinus liber exstaret: summam tamen hujus magiae probat antiquitatem, alias ne traditio quidem narrare haec de Musaeo fuisset ausa. Eadem herba moly, post Homerum auctoritatem semel

*) Pausan. Boeotic p. 304. Francof. 1583.

**) Hom. Odyss. X. circ. fin. αυτος εις αιδεω ιεναι δομον ευρωεντα, sed ut constat e libro sequenti, ad inferos non penetravit Ulysses, animae enim ad fossam accedebant.

***) Plutarch. Cim. opp. T. I. p. 482. De sera num. vindicta T. II. p. 555.

†) Pausan. Laconic. p. 98.

††) Hom. Odyss. X. v. 230. sqq.

†††) Ibid. v. 286. sqq.

*) Theoph. de plant. IX, 21.

mel adeptam retinuit, siquidem Theophrastus efficacissimam eam contra veneficia et in rebus magicis haberi cunctis, refert: non esse tamen, quod volebat Homerus, difficilem effossu. *)

Medea incantationum et veneficiorum perita.

Nec sola incantationes novit, herbarumque vires magicas Circe; eadem fama floruit eodem tempore etiam Medea, cognatione ei propinqua juncta. Haec herbis magicis et Hecates auxilio, mira multa fertur perpetrasse, **) quae aetas posterior ad lubitum cuncta profecto non finxit: revocantes enim in animum, fabulas istiusmodi apud Gallos, Britannos, nostrates etiam Germanos, de incantatoribus et veneficis celebribus, qui populi celebrantur cantilenis aut proverbiis, magnam semper habere antiquitatem, easque a poetis in suam rem transferri magis quam inveniri, et quae plus habeant auctoritatis et delectationis, e traditionibus vulgi hauriri; poetas Graecos seriores non omnem de Medea invenisse fabulam, sed esse eam perantiquam facile largiemur. Accedit, quod Apollodorum curiosius inspicientibus apparet, usum eum in fabulis Argonautarum scriptoribus valde antiquis, inter alia etiam Pherecyde Lerio, qui vixit ante Herodotum, quique de Medeae artibus magicis dubio procul scriptum aliquid reliquit, praesertim cum in veneficiis Medeae narrandis discrepare inter auctores, ut solet alibi, Apollodorus non adjiciat. ***)

Magicus herbarum usus mature ex Aegypto in Graeciam est allatus.

Hoc disertis insuper verbis docet, qui Graecum Medeae Euripidis scripsit argumentum, Simonidem adjiciens testem, et των νοςων auctores, qui vetusti sane fuerunt; Pherecydes, inquit, et Simonides Medeam narrant Jasonem coquendo juventuti restituisse, idem de patre ejus Aesone των νοςων auctor tradit. †) Meminit tandem Homerus Agamedes cujusdam, omnium, quaecunque in terris nascuntur medicamentorum (φαρμακα) peritissimae, ††) cujus tamen in fabulis deinde nomen haud magnopere celebratur. Pharmaca autem haec magica fuisse magnam partem, aut habita talia, docet Theocritus, Agamedem hanc, quam Perimedem, nescio unde, vocat, quamque Scholiastes Homericam esse Agamedem asserit, eodem quo Circen et Medeam loco habens. †††) Quae si comparemus cum alio Homeri loco, ubi Nepenthes ex Aegypto petitum Aegyptumque medicamentorum omnis generis esse feracissimam narrat, *) quin temporibus antiquissimis ex Aegypto in Graeciam transierint venena et veneficia, id est magicae morbos sanandi rationes, non poterimus dubitare; omnia tamen ex hoc manasse fonte, nec sponte ad haec delapsos esse Graecos, inferre hinc nullo licet modo.

Alia magiae genera Homero jam nota.

Vim incantationum, id est magicarum formularum, in inhibendo sanguine e vulnere manante novit etiam Homerus, utiturque eodem, quo posteri semper ἐπαοιδης vocabulo **). Alia tandem magica artificia non fugiebant Homerum, ut qui cingulo etiam Veneris inhaesisse vim quandam, Deorum hominumque animos fascinandi, et ad amorem pelliciendi narrat, qua inviti immo vehementissime incensi odio, in concordiam redigerentur conjuges. ***) Quo autem minus relinquatur dubium, magicam vim intelligi, utitur

*) Theoph. d. plant. cap. 15. **) Diod. Sic. IV, c. 4.

***) Apollodor. Bibl. I. p. 45. ex officina Commelinia 1599.

†) Euripid. Med. argument. p. 174. ed. Barnes. add. Pindar. Pyth. Od. 4. v. 393. sqq.

††) Hom. Il. XI. v. 741.

†††) Theocrit. Idyll. II. v. 15, 16.

*) Hom. Odyss. IV, v. 226.

) Ibid. XIX. v. 456. *) Il. XIV. v. 225.



utitur eodem vocabulo θελγειν, quod de veneficiis Circes adhibetur, quoque manifeste ibi magica vis insignitur.

Dactyli Idaei magia celebres.

Incantationum et magiae antiquitas apud Graecos cognoscitur et inde, quod Dactyli jam Idaei ab auctore sat antiquo, cujusque magna erat quondam auctoritas, incantationibus et magiae navasse operam perhibentur. *)

Orpheus aliique antiquissimis temporibus magia feruntur usi.

Fuit etiam Orpheus incantatoris, id est magi, titulo insignis; ut ex Euripide intelligitur. In Cyclope enim Ulysses scire se bonam Orphei incantationem profitetur, quae torrem sponte per cranium Polyphemi adigat; **) alibi autem narrat, Orpheum hac incantandi peritia rupes et bestias sequi se coegisse. ***) Eadem tradit Pausanias, addens ei Amphionem, quorum illum magiae fuisse peritissimum, utrumque autem incantando res quaslibet, inanimes etiam, excelluisse †). Tertium his adjungere comitem Musaeum licet, cujus carmina, ut et Orphei versus, sua tempestate a circulatoribus adhibita narrat Plato inimicis laedendis, et Diis, ut hominum obsecundent voluntati, quasi cogendis. ††) Quorum carminum, qui titulos cupit cognoscere, adeat Arpii de Talismanibus librum. †††) Ne quis autem e Pausaniae loco modo laudato, ubi Aegyptius quidam, Orpheum et Musaeum ex Aegypto esse oriundos, contendit, magiae hoc genus derivatum esse ex Aegypto concludat: addendum hoc est, primo loco Aegyptio haec affirmanti haud multum esse fidei habendum; deinde mentiri eum manifeste, cum Orpheus in Thracia natus gravissimorum et antiquissimorum simul auctorum consensu perhibeatur; denique in Thracia tum temporis jam viguisse incantationum in sanandis morbis usum, Zamolxin namque Thracem docuisse incantandi quasdam formulas, quibus in sanandis morbis sit utendum, quin et inter Hyperboreos Abarin reliquisse incantationes posteris, diserte Plato scribit, *) cui assentit Clemens Alexandrinus. **) Plinius ***) igitur, qui expertem magiae Thraciam pronuntiat, aut se induci in errorem est passus, aut incantationes ad magiam non judicavit referendas.

Magiam a primis gentis incunabulis Graecos imbibisse.

Esse autem magiam aut inter ipsos Graecos natam, aut a primis gentis incunabulis naturae ejus quasi insitam, eam inprimis, quae sanandos sibi morbos sumit, ex ipsis antiquissimorum Graecorum apparet de morborum natura opinionibus. Qui in legendo Homero accurate sunt versati, morbos secundum Homerum immitti a Diis, Apolline inprimis, norunt. Idem de Diana antiquissimas tradere fabulas constat. Graeci itaque cum de morborum natura idem, quod barbari hodie ferme omnes, sentirent; non potuerunt non Deorum etiam auxilium in sanandis iisdem adhibere, et ad ritus quosdam secretos incantationesque confugere. Graeci porro cum teste Homero artes insuper doceri a Diis homines, ingenii praestantiam ab iisdem in homines derivari, consilia denique praeclara a Diis inspirari animis nostris, verbo cuncta quae magna habentur et eximia, coelitus in homines putarent manare: hoc ipso descendere ad artes magicas cogebantur.

*) Ephor. ap. Diod. Sic. V. p. 230. ed. Stephan. 1559.

**) Eurip. Cycl. v. 642.

***) Ejusd. Iphig. in Aulide v. 1211.

†) Pausan. Eliac. poster. p. 199.

††) Plato de Rep. II. p. 595.

†††) Arpe de Talism. p. 74.

*) Plato Charm. p. 463 — 465.

) Clem. Al. Admon. p. 46. *) Plin. XXX, 1.

Cap. VI.

DE MAGIA GRAECORVM A BELLIS PERSICIS AD PTOLEMAEOS VSQVE.

Magiae vocabulum e Persico dubio procul in Graecum est sermonem traductum; id que ea demum aetate fieri coeptum, qua Graeciam Persae, Dario et Xerxe regnantibus, invasere. Hinc fit, ut ab hujus aevi scriptoribus, Aeschylo, Hippocrate, Pindaro, primum adhibeatur, qui praecesserunt eos, prorsus id ignorantibus, Homero nempe, Hesiodo aliisque, quorum passim fragmenta exstant. Idem disertis etiam verbis tradit Plinius, Osthanem Xerxen comitatum, bello, quod is Graeciae intulit, velut semen artis portentosae sparsisse, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo. Quod certum est, hunc maxime Osthanem ad rabiem, non aviditatem modo ejus scientiae Graecorum populos egisse, hunc eundem primum de magia commentatum aliquid esse. *) Quamquam autem in plurimis accedam Plinio, non possum tamen non primae Persarum expeditioni aliquid etiam tribuere momenti in spargenda per Graeciam magia peregrina; neque enim probabile est hominem unum, eumque peregrinum tantum valuisse, ut Graeciae omni magiae injiceret aviditatem, nisi ante jam ad suscipiendam eam praeparata fuisset, et iis, quae in prima Persarum expeditione aut audierat, aut viderat, jam accensa. Quantopere autem haec ars animos omnium occuparit, argumento est, quod ab eo tempore omnes fere celebriores Graecorum scriptores magiae vocabulo utuntur, aliaque de arte haud raro adspergunt; id quod satis, quae sequuntur, demonstrabunt.

Magiae vocabulum a Persis Graeci mutuum sumsere-runt.

Praeter Persicae hoc magiae genus, alia aliunde a multis in Graeciam hac tempestate sunt illata; ut recte idem etiam Plinius docet: summam litterarum claritatem gloriamque antiquitus, et pene semper ex ea scientia petitam; certe Pythagoras, Empedocles, Democritus ad hanc discendam navigavere, exiliis verius quam peregrinationibus susceptis. Hanc reversi praedicavere, hanc in arcanis habuere. **) Qua in re etsi iterum nequeam assensum praebere Plinio, Pythagoram et Democritum ad discendam magiam itinera fecisse longinqua, quasi nil aliud habuissent in votis quam discere magiam; etsi praeterea in errorem eum abripi sese putem passum ab aevi posterioris impostoribus, suppositititiis Pythagorae libris plurimum tribuentibus: eatenus tamen ei accedo, quatenus non ab omni magia alienum fuisse Pythagoram narrat.

Aliunde insuper Magia in Graeciam est translata.

Multi enim, iique haud leves auctores in Plinii sententiam eunt, quos inter praecipui sunt Hieronymus, quem suspicor esse Rhodium illum sub Ptolemaeo Philadelpho florentem, ***) qui ad inferos eum descendisse, ibique Hesiodi animam aeneae columnae vidisse alligatam, audisse stridentem †); Alexander polyhistor Sullae coaevus, qui daemonas et heroas hominibus mittere somnia et morborum sanitatisque signa, ad hos pertinere lustrationes, expiationes, divinationem, vaticinia, id genus alia ††); Timon denique Phliasius, qui praestigias aut magicas eum artes (γοητειας) amplexum refert. †††) Constans adeo hoc est apud omnes omnis aevi scriptores Graecos, ut Lucianus *) et Plutarchus

Pythagoras Magiae studiosus.

*) Plin. XXX, 1. **) Ibid.

***) Jons. de script. hist. phil. II, c. 3. §. 6.

†) Laërt. VIII, 21. ††) Ibid. VIII, 32.

†††) Ibid. — 36.

*) Lucian. Vitar. auctio T. III, p. 94.



chus *) praestigias ei objiciant, ut Plinius de magicis herbarum viribus eum scripsisse affirmet, **) ut Aristophanis Scholiastes docuisse eum affirmet, si quis, ubi luna est plena, sanguine nonnulla speculo inscribat, speculumque lunae obvertat, posse omnia in lunae disco legi. ***) Augustinus usum etiam hydromantia et necyomantia scribit Pythagoram, nec id sine auctoritate idonea, descensus enim ad inferos nihil est aliud quam necyomantia alio nomine velata. †) Alia brevitatis causa omitto. Haec secuti seriores Pythagorei, familiaritatem sibi intercedere cum daemonibus gloriabantur adeo, ut auctore Apulejo Aristoteles scriptum reliquerit, Pythagoreos mirari oppido solitos, si quis se negaret unquam vidisse daemonem. ††) Haec Platonici juniores et Pythagorei adeo non negant, ut magnifice insuper augeant, et in gloriam magistri, familiariter Diis utentis, vertant summam, infamiam avertant, vera fuisse ab eo edita miracula, omni virium contentione nobis persuadentes. Solent quidem omnia haec mendacitati Pythagoreorum juniorum, aut odio in religionem Christianam suscepto adscribi: verum qui secum reputaverit, antiquas esse quas laudavimus auctoritates, et famam constantissimam; is parum hoc judicabit habere probabilitatis. Quin nostrae potius sententiae favebit magis, si temporum simplicitati et genio seculi id magiae studium et Pythagorae opiniones maxime fuisse congruentes, perpendat. Aurium enim, qui ultro interdum oritur, sonum, Daemonum aut Deorum vocem, †††) sonumque aeris purgati, inclusam aeri Daemonis vocem *) existimabat Pythagoras. Si cui non suffecerint haec, eum revocare in animum Pythagorae, et Pythagoraeorum vitae genus prorsus singulare, religionis studium insigne, mysteria et secreta cum silentio, vestitum in mysteriis quibusdam eorum ministerio mutatum; haec aliaque comparare cum auctoritatibus allatis, ac videre, anne exsurgat inde probabilitas summa, Pythagoram cum discipulis intimam cum geniis ac diis familiaritatem quaesisse summo studio, vehementer rogo.

Idem porro demonstratur.

Haec tum temporis sensisse homines de rebus a naturae ordine nonnihil recendentibus, morbis praecipue, scriptoris, qui hanc aetatem ferme attigit, testimonio mox declarabimus, ut adeo facilius credi possit, eadem sensisse et Pythagoram. Quae cum ita sint, a fide non est alienum, Pythagoram in Aegypto, aliisque quae adiit locis, harum rerum haud parum fuisse curiosum, Graecorumque superstitiones magicas peregrinis auxisse caerimoniis, et incantationum aut divinandi generibus. Sapientiam enim hujus viri qui nostro metiuntur pede, egregie profecto falluntur; nec praeterea hoc obest pietati Pythagorae vehementer celebratae, quin pars potius pietatis et cultus divini, cum genii omnes et daemones apud Homerum non minus quam Hesiodum existimentur boni, adeoque magicis artibus, quae horum fiebant auxilio, a malorum geniorum improbitate infamiae nondum nota esset inusta.

Numerorum vis magica ex placitis Pythagoreorum.

Numeris inesse magnam vim censebant Pythagorei, non ita tantum ut res numeris essent similes, numerique rerum naturam exprimerent, **) sed ita etiam ut inesset iis potestas

*) Plutarch. Numa p. 64. **) Plin. H. N. XXIV, 17.

***) Aristoph. Nubes act. II. scen. 1. v. 169. Aurel. Allobr. 1601. cf. Menag. ad Laert. VIII, 36.

†) August. de Civ. Dei VII, 35.

††) Apul. de Deo Soc. T. II. p. 115.

†††) Aelian. V. hist. IV, 17.

*) Porph. vit. Pyth. p. 41.

** Theologum. Arithmet. Theon Smyrnaeus. Aristot. metaph. I, 5. Hierocl. in aur. carm. p. 228. Paris. 1583.

testas efficiendi mira, et flectendi Deos aut alliciendi praecipua. Hinc tetractyn tanto habebant in honore, ut per eam jurarent, omniumque numerorum existimarent potentissimum. *) Praeterea figuras etiam geometricas Diis quibusdam existimabant esse sacras, ut cuilibet fere Deorum sua esset figura, naturae ejus quam maxime similis. **) Hauserunt id tum ab antiquis Graecorum superstitionibus, tum etiam ex Aegypto, novisque insuper argumentis fulciebant, colligendo studiose, quaecunque in rerum natura certo dierum, mensium, aut annorum numero absolvuntur, ***) indeque hanc numeris inhaerere vim perperam concludentes; videntur itaque ad res magicas numeros et figuras adhibuisse, iisque in cultu Deorum, ad vaticinia, adipiscendamque rerum occultarum cognitionem usi. †) Petita haec procul dubio sunt ex Aegypto, unde arithmetices et geometriae hausta est peritia; etsi a vero non abludat, fuisse et in priscorum Graecorum superstitionibus, quae in eadem sententia eos confirmarent. In sacris enim faciendis, numeris quibusdam tamquam Diis acceptissimis, sacerdotes ubique fere utuntur. An autem haec jam docuerit Pythagoras, ponere pro certo non ausim.

Qualis vulgi fuerit de morbis opinio sub belli Persici tempestatem.

Ingentem his omnibus lucem affundit, quod apud Hippocratem, aut antiquiorem forte Hippocrate, libri de morbo sacro auctorem, legitur, idemque simul, quae dicta sunt hucusque, fulciet: Epilepsiam, inqnit vir longe supra seculum sapiens, homines existimant esse morbum divinum, veram ejus naturam ignorantes, ideoque purgationibus aut incantationibus student ei mederi. Qui primi hunc morbum dixerunt sacrum, similes mihi videntur fuisse iis, quales nunc sunt magi, expiatores, circulatores, qui magnam affectant pietatem, et supra vulgus volunt sapere. ††) Magi ergo tum temporis nuper erant orti. Quodsi magiae nomen et ars, qualis tunc exercebatur, antiquum fuisset, non adjecisset libri auctor, quales *nunc* sunt magi; vixit autem is circa belli Persici tempestatem, ut qua accuratius demum Graeci coeperunt philosophari. Acrius deinde in impostores ejusmodi invehitur scriptor praeclarus: quicunque, inquit, lustrationibus et magicis artibus hunc morbum sanat, ad alias etiam res facile eadem adhibebit, eoque ipso Deum plane tollet, ut adeo horum hominum oratio impia potius quam pia videatur. Cum enim hi, lunam se detrahere de coelo, solem obscurare, tempestates et serenitatem efficere, imbres porro et siccitatem, frugum sterilitatem, aliaque hujusmodi facere se affirment, idque initiationum, aut similium his caerimoniarum auxilio: negare Deos mihi quidem videntur, eorum saltem fateri imbecillitatem, quippe qui mala nequeant arcere. Quodsi enim magicis artibus et sacrificiis lunam aliquis potest de coelo detrahere, solem obscurare, tempestatem excitare: haec ego omnia, non Deorum, sed hominum existimo nutui parere, aut infirmos esse Deos, ab hominibus pro lubitu subigi se et cogi patientes. Vero ergo est simile, haec ab hominibus hisce victus quaerendi causa fingi, praecipue cum pro morbi hujus phaenomenis diversis, Deos etiam diversos afferant ejus auctores. Ubi enim aegri imitantur capras, aut in dextris corporis partibus convelluntur, matrem Deorum morbi dicunt esse causam; ubi voce altiori et vehementiori clamant, equi hinnitui simile

*) Carm. aur. 147. Plutarch. de Isid. et Os. T. II. p. 381.

**) Plutarch. de Is. et Os. p. 381. et alibi passim.

***) Laërt. VIII, 29.

†) Porph. de abst. II. p. 188. Lugd. 1620.

††) Hippocr. de morbo sacro c. I.

simile id existimantes, Neptunum; ubi excrementorum aliquantum emittunt, Hecaten Enodiam; ubi crebrius et tenuius idem fit, instar avium, Apollinem Nomium; ubi spumant ore, Martem esse auctorem volunt. Quaecunque noctu nos terrent, aut a mente alienant; quoties e lecto prosilimus; ea Hecates fieri insidiis putant, et heroum insultibus: unde purgationibus, expiationibus, et incantationibus utuntur, quae expiationibus sunt adhibita aut defodiunt, aut in mare abjiciunt, aut in montes ferunt, ubi mortalium nemo accedat, eaque contingat. Quodsi Deus esset morborum auctor, in templum haec essent portanda, Deoque reddenda. At haud facile mihi equidem persuaserim, a Deo hominis corpus inquinari, rem sordidissimam a purissima. *) Praeclare haec monet Hippocrates, sive quicunque fuerit libri auctor, contra superstitiosos hosce vanosque circulatores; unde simul intelligitur, late admodum tum temporis hanc superstitionem serpsisse, multosque Deos pro variis morborum phaenomenis, eorum auctores habitos, nec malis quibusdam geniis id negotium fuisse demandatum; id quod egregie confirmant, quae supra monui, daemonas malos, aut Deos malos in Graecorum religionibus tum nondum fuisse; prodesse aut obesse eosdem pro lubitu, aut potius, prout homines sese erga eos gesserint.

Osthanes peregrinae Magiae genera multa Graeciae intulit.

De aetate Osthanis, qui primus Persarum peregrinam Graecos magiam docuit, inter auctores nihil fere discrepat: in eo tamen vehementer errat Eusebius, quique eum exscripsit Syncellus, in Aegypto Democritum ab eo esse initiatum, misso huc a Persarum regibus, ut Aegypti sacerdotibus praeesset, eumque Democritum et Mariam quandam mulierem Hebraicam in libris suis vehementer laudasse, quod artem sapienter occultarint et verborum ambiguitatibus texerint. **) Magis enim probabile est, quod narrat Plinius, Osthanem ipsum adiisse Graeciam, nec in Aegypto eum adiisse Democritum, ut qui, auctore Plinio, de alio potius mago multa scripsit, magistrum Osthanem oblivioni non traditurus, si usus eo fuisset. Quod autem praecipuum est, Osthanem narrant a Democrito laudatum, quasi post bellum Persicum non vixisset Democritus, et libros in patriam redux scripsisset. Unde efficitur, Osthanis librum, quo usus est Eusebius, non fuisse genuinum, id quod argumentis supra allatis plus ponderis adjicit. Argumentum libri accuratius exponit Plinius his verbis: ut narravit Osthanes, species magiae plures sunt, namque et ex aqua, et ex sphaeris, et ex aere, et ex stellis, et lucernis, et pelvibus, securibusque, et multis aliis modis divina promittit, praeterea umbrarum, inferorumque colloquia. ***) Liber, quo usus est Plinius, magis videtur fuisse genuinus, quam cujus mentionem facit Minutius Felix, quosque praeter eum laudavimus alii; omnia enim divinationum et magiae genera complectitur, quibus usos Persas supra est demonstratum: immo quaedam ab aliis non commemorata adjiciuntur divinationum genera. Quae cum per se sint levia, libenter nunc praeterimus, lectorem interim harum forte rerum magis curiosum ad Peuceri de praecipuis divinationum generibus librum ablegamus, ubi satis illi speramus iri factum. Inerant eidem libro, de consensione et dissensione rerum inter se, id est de sympathia et antipathia, nonnulla, de quibus, teste Democrito, scripsisse Osthanem auctor est Tatianus. †) Neque mirer equidem, adeo antiquas esse sympatheticas et

*) Hippocrat. de morb. sacr. c. 2.

**) Eusebius Chronic. I, p. 43. Syncell. Chronograph. p. 198. Venet. 1729.

***) Plin. XXX, 2.

†) Tatian. advers. Graecos columm. 56. apud de la Bigne bibl. patrum T. VII.

et antipatheticas nugas, cum, quibus eae nitantur experientiae, satis sint obviae, cumque miraculum rei, cujus causa in oculos statim non incurrit, non potuerit non hominum, philosophiae adhuc rudium, in se animos oculosque convertere. Ita mihi potius persuadeo, his ipsis, simul animadverterentur a callidis hominibus, egregie ad praestigias, incantationum vires confirmandas, homines attonandos, praestigiatores usos, ut iisdem utuntur hodieque, postquam praestringendi oculos vis decessit, ad praestringendos imperitorum animos. Quanta inde sit hausta demonstrationum ad stabiliendam magiae veritatem multitudo, dici vix potest, idque infra pluribus docebitur.

Praeterea sympathiae et antipathiae magnam apud plebem et nostram habent auctoritatem, nec aliunde videntur ad gentem nostram allatae, cum nimis late pateat earum, apud homines libris legendis parum deditos, auctoritas, quam ut repeti origo a peregrinis queat. Hinc inclinat animus ad credendum, sponte nasci hos errores, reperiri etiam apud omnes alias gentes, in cognoscenda rerum natura eodem usque progressos, debere, et si, qui eas nationes adierunt, de iis silent, negligentiae id eorum aut sermonis ignorantiae deberi. Ex eodem libro Alexander Trallianus affert hanc curandi comitialis morbi rationem: corallium, et glycyzidem solanique radicem luna inclinante collectam, illigatamque in linteolum lineum appendito. *) Favebat ergo amuletis quoque Osthanes. *Favit Osthanes etiam amuletis.*

Huic Osthani successere apud Persas praeter Osthanem alterum, de quo infra, Astrapsychi, sive, ut malunt alii, Astrampsychi, Gobriae et Pazatae, eaque magorum successio ad Alexandrum usque Magnum tenuit. **) Inter hos Astrampsychus scripsisse de somniorum interpretatione dicitur ***), exstare adhuc librum hujus argumenti, versibus senariis scriptum, addit Menagius. †) *Successores Osthanis.*

Magnam nominis celebritatem haud diu post expeditionem Xerxis in Graeciam adeptus est etiam Dardanus Phoenix et Apollonices Captidenes, sive ut legunt alii, Apollobeches Coptites; e quorum libris multa putabatur Democritus hausisse. ††) Hic ab omnibus fere antiquitatis scriptoribus, quoties de magia loquuntur, solet laudari, †††) ut constet, inter primos eum magos relatum fuisse. Ceterum de opinionibus huic viro propriis nihil uspiam invenio proditum memoriae. *Dardanus.*

Orto semel initio, quam celeriter magicae artes apud Graecos adoleverint, quamque multos ubique invenerint patronos, eosque egregios cetera viros, dici vix potest. Inter praecipuos earum propugnatores non modo, sed etiam doctores, Democritum collocat Plinius, multa ex ejus libris artificia magica passim adducens. Sunt autem eorum, quibus usus est Plinius, tituli, Chirocmeta (ita enim recte Salmasius emendat, *)) quae genuina esse Democriti, Plinius putat constare **) et de Chamaeleonte ***), addit his Columella alium, qui ὑπονεηματα inscribebatur, cujus auctorem verum esse Dolum Mendesium affirmat †); et alium, cui titulus inerat πεϱι ἀντιπαθων, ††) qui quin sit Democriti, *Democritus perhibetur magus.*

E 3

*) Al. Trallian. I, c. 15.

**) Laert. prooem. sect. 2. Suidas μαγοι, is cetera sequitur verbotenus Laertium ut solet, Astrapsychi modo nomen in Astrampsychi, alibi in Astampsychi mutat.

***) Suidas ἀςραμψυχος. †) Menag. ad Laert. l. c.


††) Plin. XXX, 1.

†††) Tertullian. de An. c. 34. Apulej. Apol. p. 216; 149. Basil. 1597. Arnob. adv. gent. I, p. 19.

*) Salmas. ad Sol. p. 775.

) Plin. XXIV, 17. *) Ib. XXVIII, 8.

†) Colum. de R. R. VII, 5. ††) Ib. XI, p. 401. Lugd. 1541.



criti, non videtur dubitare. In omnibus his libris portentoſa et magica multa tradebantur. Fuere tamen, qui, an ſint genuini, dubitarent vehementer, quorum ego ſententiam meam facere nullus dubito. Ac primo quidem loco, qui de Democriti libris egerat accuratiſſime, Thraſyllus, plane hos omiſerat; deinde Laertius haud obſcure innuit, ſe eosdem inter ſpurios referre, catalogo Thraſylli haec adjiciens: ſunt, qui Democrito etiam haec tribuant — reliqua autem aut ex ejus libris ſunt excerpta aut omnium conſenſu ſpuria. *) Habet quidem obſcuritatis aliquid hic locus; commode tamen videtur intelligi et de libris poſſe, quos omiſerat Thraſyllus, ut adeo reliqui omnes ſpurii ſint habendi. Huic ſententiae favet etiam Gellius, librum de Chamaeleonte abjudicans Democrito, ſimul, multa videntur ab hominibus male ſolertibus hujusmodi commenta in Democriti nomen data, nobilitatis auctoritatisque ejus perfugio utentibus, egregie notans. **) Id quod non diſſimulat ipſe Plinius: in tantum, inquit, fides iſtis fasque omne deeſt, adeo ut ii, qui cetera in viro (Democrito) probant illo, haec ejus eſſe opera inficientur: ſed fruſtra.| ***) Maximum denique his accedit pondus e philoſophia Democriti, a ſuperſtitione omni magiaeque vanitate alieniſſima; qui enim his potuit habere fidem philoſophus Abderites, omnia exiſtimans fieri neceſſitate fatali, †) nihilque adeo relinquens Deorum aut Daemonum poteſtati; in philoſophia porro morum vitam docens agere beatam et ab omni ſuperſtitionum terrore remotam ††).

Animus Democriti a Magia alienus.

Quamquam igitur Salmaſius, Plinium ſequens, a magia non fuiſſe alienum putet Democritum, et Chirocmeta Democrito tribuat auctori, †††) quem ſequi etiam Menagius videtur *): haud tamen dubitaverim ire in ſententiam Gellii, et ſpuria haec omnia pronuntiare. Quo de genere eſt etiam, qui ſub Democriti nomine exſtat de arte ſacra, ſive de rebus naturalibus et myſticis libellus. **)

Id quod porro oſtenditur.

Unum his videtur obſtare, quod in genuinis Democriti libris probabile eſt, artificia magica fuiſſe tradita, quibus moti impoſtores, hujusmodi ei ſuppoſuerunt libros, nec argui fraudis manifeſtae poterant. Hinc expediet nos, quod obiter narrat Solinus, eſſe in agro Corſicano lapidem Catochiten, cui inſit de glutine lentiori aliquid, parque gummi; Democritum Abderitem oſtentatione hujus ſcrupuli frequenter uſum ad probandam occultam naturae potentiam, in certaminibus, quae contra magos habuit. ***) Impugnavit ergo magos Democritus, idque ea ratione, ut quae ipſi a viribus geniorum derivabant, naturae adſcriberet poteſtati occultae; experientiisque ſimul demonſtravit, eſſe in rerum naturis vires occultas, mirasque, a daemonibus perperam derivatas. Democritus porro in experimentis his narrandis, nimiam dubio procul prodebat credulitatem, ſeculi genio facile condonandam, indeque factum, ut in ſuas eum partes invitum pertraherent magi, ejusque auctoritate commenta multa roborarent, utque adeo ipſis denique favere Magis crederetur. Quamquam itaque ad cognoſcendas Democriti opiniones peti nihil e Plinio queat praeſidii; tamen quid ſenſerit Dardanus ejusque coaetanei, colligi inde putem.

Quod

*) Laert. IX, ſ. 48, 49. **) Gell. X, 12.
***) Plin. XXX, 1. †) Laert. IX, 44.
††) Id. IX, 45. †††) Salmaſ. in Solin. p. 69.
*) Menag. ad Laert. IX, 49. **) Id. l. c.
***) Solin. c. 3.

Quod cum haud parum in historia magicae artis trahat momenti, excerpenda puto e Plinio, quae huc pertinent, in quibus praeterea superstitionum, hodiernarum quoque, haud levia conspiciemus vestigia. Praetermissis, de quibus supra jam, cum agerem de Persarum Magis, est dictum, quaeque sumsisse se ex Democrito Plinius testatur, ad alia pergimus; dixit Democritus, credidit Theophrastus, esse herbam, cujus contactu illatae ab alite quam retulimus, exiliret cuneus a pastoribus arbori adactus. *) Similis sane herba ei, quam Springwurzel hodie vocant, quaeque claustra omnia contactu dicitur reserare. De animalium aut singularum corporis partium potestatibus, haec porro apud Democritum legerat Plinius: exstant commentationes Democriti, ad alia noxii hominis e capite ossa plus prodesse, ad alia amici et hospitis **). Viget eadem persuasio apud plebem etiam nostram, e patibulis efficacissima petentem ad miracula perpetranda praesidia. Quae de Chamaeleonte, ***) rana †) aliisque e Democrito affert Plinius, apud ipsum videantur. Haec qui legerit, esse cuncta de genere eo, quod sympatheticum et antipatheticum hodie vocant, simillimaque iis, quae apud plebem, sive rusticam, sive urbanam, plebem etiam scriptorum, inter nos celebrantur, statim intelliget. Adeo verum est, plebem ubique gentium esse sibi simillimam, idque eo magis, cum necesse sit, homines eundem cultus gradum adeptos, iisdem fere opinionibus esse imbutos; sunt enim opinionum causae apud omnes ferme eaedem, res namque, quae in sensus incurrunt, sensuum et phantasiae errores et fallaciae ferme iidem, modus concludendi inde quicquam et notiones derivandi etiam idem, ut adeo e causis iisdem non possit non idem etiam manare effectus. Inesse herbis vires haud exiguas in vulneribus sanandis, aliisque morbis depellendis, intellectum mature est ab hominum genere, sive instinctu, sive bestiarum imitatione id edocto. Hanc vim cum pendere a Daemone singulas incolente herbas, aut a Deo vim suam iis infundente, astrorum nempe potestate, sibi persuaderent homines; novisque saepe herbarum miraculis in stuporem agerentur: insita mortalium animo aviditate, et augendi omnia proclivitate, exspectare omnia a plantis, et nihil non eis tribuere coeperunt. Medium enim tenere adeo est beatorum, ut pauci, iique sero demum id attingant. Adjuvabant haec circulatores, praestigiatores, sacerdotes, aliique quorum interest, fraudibus imperium sibi in animos et oculos imperitorum arrogare. Praeterea omnem hanc errorum cohortem regit aut gignit aliud rationi nostrae insitum, cujus vi a similibus similia, a contrariis contraria, adeoque a raris, aut quae fiunt extra ordinem, rara etiam miraque exspectamus. Hinc factum, ut si quem cernerent supplicio affectum, peculiarem inesse ossibus ejus ac raram crederent potestatem, ut ab animalibus raro visis, aut facile non capiendis, more aliquo insolito viventibus, magna sibi promitterent emolumenta.

Opiniones Dardani.

Alius longe generis est Empedocles, etsi eum Plinius, inter magos jure optimo collocans, non distinguat a Democrito. ††) Sunt certe argumenta omni exceptione majora, quibus magicas exercuisse artes convincitur. Praeterquam enim, quod Satyrus scripsit, Gorgiam Leontinum, sese affuisse Empedocli magiam exercenti, dixisse, †††) ipsis etiam versibus suis arguitur satis. His promittit sese docturum, qua ratione venti compescantur,

Empedocles Magiae fautor.

*) Plin. XXIV, c. 2. **) Id. XXVIII, 2.

***) Id. XXVIII, 8.

†) Id. XXXII, 5. X, 49. cf. Columella de R. R. XI, p. 401.

††) Plin. XXX, 1. †††) Laert. VIII, 59.

tur, et incitentur, ſerenitas coeli a tempeſtate et imbribus reducatur, aut tempeſtates mutentur in ſerenitatem, aut in vitam revocentur defuncti; *) ſcripſit praeterea Heraclides (Ponticus procul dubio, Platonis auditor) cum mulierem mortuam vitae reſtituiſſe. **)

Daemonas bonos et malos primus videtur Empedocles agnoviſſe.

Ceterum ab Empedocle ortum videtur initium diſtinguendi daemonas in bonos et malos; ante hunc certe ejus rei apud Graecos veſtigium occurrit nullum. Docuit enim Empedocles daemonas peccare, ideoque a Diis in exilium actos oberrare, et calamitates multas ſubire, id quod ad ipſa Philoſophi Agrigentini carmina provocans narrat Plutarchus ***), verſus etiam ipſos alio loco adſcribens, qui ſic habent: aether pellit daemonas in mare, mare exſpuit eos in terram, terra ad ſolem, ſol in aetheris eos turbines rejicit, omnes autem odio eos habent, donec his poenis purgati, locum et ordinem natura ipſis debitum recipiant. †) Haec ex Orientis aut Aegypti forte opinionibus hauſta, unde Plutarchus loco priori, videri id ſibi audacius dictum et βαρβαρικωτερον, adjicit, per ſecula aliquot a philoſophis neglecta, Platonici tandem juniores arripuerunt, factaque ad magiam applicatione, genera inde duo ejus procuderunt.

Myſteria Magiae genus theoſophicum mire propagarunt.

Aliud hac tempeſtate emerſit magiae genus, ortum quidem diu ante, ſed multis modis imperfectum, et multis barbariei primae conſectariis permixtum. Myſteria nempe diu ante in Graeciam, ſeu invecta, ſeu ſponte ibidem nata, philoſophia caput extollente, magnam adepta ſunt celebritatem. Eſſe haec ſummae feruntur antiquitatis, et ab Orpheo, aliisque ante bellum Trojanum, ex Aegypto et Thracia praeſertim petita, ab Homero tamen, Heſiodo aliisque, quorum paſſim exſtant fragmenta, plane ſilentur. Sub aetatem autem Pythagorae et Pythagoreorum ad magnam pervenerunt claritatem, ut deinde vir bonus vix putaretur, qui initiatus iis non eſſet, de quarum origine, peregrina ſit nec ne, definiri certi quicquam vix poteſt, quamquam enim plurimi forinſecus affirment invecta, iidem tamen maximam partem ſunt hi ipſi, qui omnes Graecorum literas aut artes derivant aliunde, priſcam ſequentes perſuaſionem, quae nihil cujusque populi relinquebat inventioni, et ſi qua gens eſſet antiquior, inde derivanda cenſebat, quae alibi reperiebantur. Ex quo intellectum autem eſt, apud plurimas nationes barbaras myſteria ſponte naſci, idque ob eam maxime cauſam, quod medici et vates, occultare artem cupientes, quam, magiae prae ſe ferentes ſpeciem, exercent, ritus et caerimonias occultas, quibus initientur et ad ſilendum adigantur novi collegae, inveniunt: ††) ingens de traditionum harum veritate ſuboritur dubitatio. Equidem antiquitus exſtitiſſe apud Graecos myſteria, cum exſtiterint myſteriorum cauſae, fuerintque divini, et medici, Deorum ope artem ſeſe exercere profitentes, dubitem nullus. His Orpheus aliique novam forte ac peregrinam induerunt formam, quod ipſae etiam confirmant traditiones, ante Orpheum, tempeſtate Triptolemi celebrata jam eſſe myſteria, ab hoc in aliam redacta formam, docentes. Per multa haec ſecula in obſcuro delituere, idque minime mirum, reputanti ad ſolos principio divinos, medicos, verbo magos, ea pertinere, reliquis inde prorſus excluſis. Ridicula multa primaeque ſimplicitatis veſtigia iis neceſſe eſt adhaeſiſſe, quae

*) Laert. VIII, 59. Ex his verſibus etiam nonnullos adduxit Clem. Alex. Strom. VI, p. 630.

) Id. VIII, 67. *) Plut. de orac. def. T. II. p. 418.

†) Plut. de Iſ. et Oſir. p. 361, T. II.

††) Meiners Grundriſs der Geſchichte aller Relig. c. 15. §. 1.

quae ipsa temporis diuturnitas ac rationis humanae, meliora doctae, progressus sensim abolevit. Caput tamen omnis rei fuisse familiaritas cum daemonibus, ars adigendi eos, ut sisterent sese ad lubitum divinorum, facerentque, quae juberentur, e barbararum gentium more judicanti mihi videtur. Est enim id in America, septentrionali maxime, cujus mores et vitam accuratius pingunt peregrinatores, mysteriis propositum, conciliare candidato daemonem aut genium familiarem, qui in morbis curandis, futuris divinandis, occultis aperiendis, ei adsit; huc jejunia, cruciatus, quaeque alia ipsis sunt patienda, tendunt, hoc ultimo initiationis die tandem perfecto, res tota ad finem creditur perducta. *) Idem in vetustissimis Graecorum mysteriis fuisse praecipuum, argumento vel id est, quod serioribus adhuc temporibus huc spectabant plurium mysteriorum ritus. Quod, obscurius licet, produnt scriptores antiqui, utpote non audentes de re tam sancta aperte loqui, quae quanta fuerit a sacerdotibus sacramenti religione undique septa, vel inde apparet, quod scriptores etiam Christiani abjurata superstitione reliqua, tamen de mysteriis caute loquuntur, etiam ubi risui ea exponunt. Hujus rei causam equidem ignorantiam vix putem, cum alia summo studio ante occultata in lucem ab iis protrahantur, ut appareat plura eos non latuisse. Quod ut fiat manifestum, Euripides primo loco testimonium dicat; hic Theseum in Hippolytum facit invehentem ita: tune cum Diis versaris? tu castus es et incorruptus? — Jam gloriare abstinentia ab esu animalium, Orpheoque magistro! **) Hippolytum poeta mysteriis Orphicis initiatum fingit, eoque cum Diis familiaritatem contraxisse; (θεοις συνειναι). Euripidi succurrat Plato, ut alter alteri lucem afferat; hic de vera loquens philosophia, ad rerum divinarum Deorumque ipsorum ducente contemplationem, (Deos enim ipsos tantum non intueri nos, mente a sensibus prorsus abducta et in idearum intuitu defixa, haud obscure philosophus aliis locis prodit) qui huic se tradiderit, is, adjicit, perfectis semper mysteriis initiatus solus vere perfectus evadit, is ab humanis sejunctus studiis Deoque conjunctus, carpitur a multitudine, Dei eum esse plenum ignorante. ***) Vix ullus subesse his sensus alius potest, quam philosophiam non minus quam mysteria, ad Dei nos contemplationem et familiaritatem evehere. Porro in Phaedone mysteriorum interdum injicit mentionem philosophus, et loca tandem inferorum cum fluminibus, cruciatibus, et poenis improborum, campis etiam Elisaeis, et pulchritudine mira rerum ibi conspiciendarum, adjecto vocabulo: fertur, dicitur, vivis coloribus pingit, †) ut probabile sit ex hoc ipso, alicubi eum haec audisse, immo et vidisse, eaque adeo in mysteriis esse repraesentata. Quam conjecturam egregie fulcit Themistius, cujus verba apponam, ut conferri cum descriptione Platonis queant, indeque non veritas modo, sed etiam antiquitas rerum in mysteriis traditarum appareat. Morientes, inquit, idem fere quod magnis initiati mysteriis experiuntur, unde vocabulum etiam vocabulo, τελευταν τω τελεισθαι est simile. Praecedunt errores, discursus molesti, et itinera per tenebras suspicionis plena, et exitus expertes; sequuntur ante finem negotii exsecranda omnia, horror, tremor, sudor, stupor; tum lux mira occurrit, loci puri, ac prata cernuntur, voces, saltationes percipiuntur, et multa in admirationem nos rapientia de rebus sacris audiuntur, species sanctae oculis obversantur, inter quae, qui plane jam est initiatus et

*) Lafiteau Moeurs de sauvages. T. I. p. 330. Charlev. hist. de la Nouv. France T. III. p. 363. Götting. Reisen Th. II, 155.

**) Euripid. Hippolyt. v. 947 sqq.

***) Plat. Phaedr. p. 1223. †) Idem in Phaed. p. 81 sqq.

et libertatem adeptus, coronatur, exsultat, cumque viris sanctis et puris versatur, profanam et impuram in terris degentium conspiciens turbam in luto ac tenebris a se conculcatam et circumactam; mortis metu et dubitatione de bonis in vita altera consequendis, ut ibi maneat, adductam. *)

Idem porro stabilitur.

Eadem, paucioribus tamen verbis, docet etiam Pindarus, beatus, inquit, qui vidit, quae sunt apud inferos, (de mysteriis Eleusiniis canens) is, vita quem habeat finem, novit. **) His addit alio loco Clemens, in mysteriis magnis nihil amplius discendum relinqui, adspici et mente comprehendi naturam omnium rerum, resque ipsas. ***) Quae omnia si perpendamus: nullum, puto, relinquetur dubium, quin in mysteriis magnis dii ipsi, daemones, quae sunt apud inferos, quaeque manent probos non minus quam improbos, non verbis, sed re ipsa sint tradita, et repraesentata, ut Deos ipsos ac daemonas putarent mystae conspicere et inter defunctos versari. Quod si enim se esse inter homines alienam gerentes personam existimassent; motus illi animorum, terrores, stupores, laetitia, et exsultatio locum habere nullum, nec mysteria ipsa haberi adeo sancta potuissent et divina, sed in risum et contemtum brevi abiissent.

In mysteriis dii ipsi credebantur apparere.

Quod ne cui videatur conclusum audacius, testimoniis aliquot veterum conabor fulcire. Quod attinet ad mysteria, inquit Plutarchus, unde vera de daemonibus notitia maximis certissimisque argumentis, ex intuitu ipso potest hauriri, os meum contineo, (*ἐν ὅις τας μεγιςας ἐμφασεις και διαφασεις λαβειν ἐςι της πεϱι δαιμονων ἀληθειας*) †) multa ergo de daemonibus tradebantur in mysteriis, eaque non verbis sed intuitu ipso, quod aperte satis verba Plutarchi produnt. Idem verbis disertis docet etiam Aeneas Gazaeus, qui apud Chaldaeos, Aegyptios et Graecos mysteriis praesunt, magicis sese carminibus animas etiam defunctorum pollicentur posse excire, et incantationibus trahere ac agere, quocunque libuerit, et quamcunque aliquis convenire cupierit, Orphei, Phoronei, aut Cecropis, idque faciunt gallis gallinaceis mactatis, characteribusque subscriptis. ††) His non obstat, quod sacerdotes nonnulli, sacrorumque ministri, Deorum leguntur personas gessisse, hierophantes Demiurgi, id est, mundi opificis, qui facem praefert, solis, qui arae adstat, lunae, praeco denique sacer, Mercurii †††): induebant enim hi Deorum habitum, ut ritus magicos majori cum pompa celebrarent, forte etiam, quod ipse Deorum habitus efficax ad animas defunctorum, daemonasque alios eliciendos existimabatur solus, ut adeo inferri hinc nequeat, inanes tantum geniorum figuras apparuisse, idque initiatos haud ignorasse. Daemones enim si non eliciuntur veri, sed dramatis in modum omnia aguntur; colligi inde nihil potest, quod veram eorum naturam aperiat ita, ut verissime hinc intelligatur, qualis ea sit, nullumque amplius dubium ne philosopho quidem, qualis Plutarchus erat, relinquatur. His addendum denique, mysteriorum quicunque feruntur auctores, magos simul perhiberi, idque non de Orpheo tantum, Musaeo, Lino, sed de Dactylis etiam Idaeis, nec rumore vulgi, sed gravissimorum auctoritate scriptorum, memoriae prodi. De Dactylis enim Idaeis ex Ephoro, Isocratis

*) Stob. Serm. 119. p. 602.

**) Clemens Alex. Strom. III, pag. 433.

***) Idem Strom. V, pag. 582.

†) Plutarch. de Orac. def. T. II, p. 417.

††) Aeneae Gazaei Theophrast. p. 24.

†††) Euseb. Praep. Ev. III, c. 12.

cratis' aequali, cuique plurimum solet omnis antiquitas tribuere, Diodorus Siculus haec refert: fuerunt hi praestigiatores, (γοητες) id est magi, in incantationibus, initiationibus, seu lustrationibus, aut expiationibus, (τελεταις) et mysteriis multam ponentes operam, iisque ipsis haud parum vulgus in stuporem dederunt. Horum e numero fuisse et Herculem, sunt qui dicant, cujus rei argumentum afferunt, quod nunc etiam mulieres multae ab hoc Deo accipiant incantationes, et amuletis eum adhibent, ut qui magus fuerit, in expiationum, et lustrationum ratione optime versatus. *) Ab his igitur auctoribus cum manarint mysteria: poni alterutrum videtur debere, aut ab iis in mysteria multa esse magica invecta, qualis enim artifex, tale est etiam opus: aut e mysteriis ipsis, quaeque ibidem audiebantur et cernebantur, magos fuisse eorum auctores, esse ab hominibus conclusum.

Hinc mysteriorum eruitur indoles.

In summam itaque ut colligantur, quae disputata de mysteriis sunt huc usque; sic equidem existimo, mysteria majora antiquitus fuisse medicorum et divinorum initiationes, quibus suus cuique conciliabatur genius familiaris, omnium quae agebat, parabatque adjutor, eaque ab hoc hominum genere, pro simplicitate prisca, multis absurdissimisque superstitionibus fuisse onerata. Postquam autem emersit philosophia, nec ferre amplius ridicula ejusmodi homines potuerunt, subtilius omnia coeperunt ad normam rationis exigi; accedebat, quod, cum magna miraque pollicerentur sacerdotes; quicunque rerum sub sensus non cadentium erant curiosi, quique accurate certoque Deorum et daemonum cupiebant naturam nosse, expertes esse mysteriorum nolebant, adeoque philosophi etiam iis cupiebant initiari. Horum e numero princeps dubio procul fuit Pythagoras, omnia ubique templa et adyta vestigans, sacerdotumque amicitiam avide expetens. Ab hoc discipulisque ejus multa in mysteriis, Orphicis maxime, nova sunt invecta. **) Quorum praecipuum mihi quidem videtur fuisse hoc: ut in mysteriis sanctius aliquod et purius praescriberetur vitae genus, quo ad Deum et daemonas accederent mystae propius, et mente extra se rapta cum Diis versarentur; verbo, ut inirent cum diis et Daemonibus familiaritatem, fierentque quos homines nostri vocant Geisterseher. Hinc mysticae apud Graecos philosophiae origo; hinc discrimen inter magiam vulgarem et philosophicam ortum, ut pluribus mox dicemus, ubi de superstitionibus vulgi nonnulla praemiserimus.

Amuleta Periclis aetate.

Usum amuletorum Periclis aetate primum deprehendo, is enim ipse, Theophrasto auctore, morbo correptus a mulieribus appensum sibi amuletum gestabat. ***) Qua ratione confecta sint, nec etiam an Periclem superent antiquitate, disertis verbis scriptum invenio nuspiam. Quoties autem animum adverto ad mulieres amuleti hujus opifices, non possum non anilem hanc superstitionem admodum existimare antiquam, nec aliunde insuper illatam; cum superstitiones peregrinae ad mulierculas sero penetrent.

Sagae Thessalae in Graeciam reliquam penetrant.

Inter gentes barbaras haud paucas vetulae ob magiam, eam maxime, quae in perniciem hominum ac pecorum vertitur, habentur infames; idem in Graecia quoque evenit: ut enim taceam Circen et Medeam, a primis inde temporibus incantandi arte famosas;

*) Diod. Sic. IV, p. 230.

**) Herodot. II, c. 81.: quod si enim, ut vestem aliam adhiberent in mysteriis, potuit Pythagoras efficere, alia procul dubio et majora ab eodem sunt innovata.

***) Plutarch. Vit. Pericl. T. I, p. 173 cf. Plat. de Republ. IV, p. 635.



ſas; novum idque late ſerpens magiae genus e Theſſalia mulieres Graecas invaſit. Hae antea ſcriptoribus ignotae, ſub tempeſtatem Alexandri magnopere celebrantur et φαρμακιδων nomine inſigniuntur. Hae lunam detrahere de coelo carminibus credebantur. *) Qua ratione tum temporis id effici a vetulis credebatur, haud conſtat; ſi exſtaret Menandri fabula, ambages feminarum detrahentium lunam complexa, magis id nobis foret perſpectum **) Nec id etiam traditur ulli, magia Theſſalica ſitne ibidem nata, an aliunde invecta, quod etiam Plinius notat loco laudato. Scholiaſtae tamen, ut ſunt homines acutiſſimi, hujus etiam rei afferre cauſam non dubitant. Medeam narrant fugientem, ciſtam venenis plenam in Theſſalia abjeciſſe, eaque ibi coepiſſe germinare; ***) hinc magiam Theſſalorum ortam ſubindicant. Aliam rei originem affert Plutarchus, Aglaonicen Hegetoris f. aſtronomiae peritam, quotiescunque luna defeciſſet, ſemper magicas exercuiſſe artes, iisque lunam ſeſe detrahere ſimulaſſe, hinc ortam primum de luna detrahenda fabulam. †) Parum profecto probabilis haec ratio videtur, ſi quis apud peregrinatores legit, quae gentes barbarae de ſolis lunaeque defectu ſolent maximam partem ſibi perſuadere. Eſſe ſcilicet aſtra animalia vita praedita, defectumque oriri inde, quod luna aut ſol ab alio ipſis infeſto monſtro ſoleat ſaepe peti; idque aeris aliarumque rerum crepitu vehementiſſimo eſſe abigendum. ††) Quae cum ita ſint, facile in eam quoque incidunt opinionem, lunam carminibus, herbis, aut ſacrificiis quibusdam deripi de coelo invitam, idque eo facilius, quod in tempeſtates etiam magi ſibi arrogant poteſtatem.

Novum necyomantiae genus emerſit.

Aliud magiae genus ſub idem tempus exercebatur in Theſſalia a viris, necyomantia, quam in templis quibusdam a ſacerdotibus, aut viris praeclaris Deorum monitu aut ductu exercitari hucusque vidimus, ab hominibus privatis adhibitam nondum audivimus. Dicebantur hi ψυχαγωγοι †††) vocabulo etiam mutato, ne quod religionis publicae putabatur, confunderetur cum privatis nonnullorum ſtudiis. Hanc vocem ut explicet Euripidis Scholiaſtes, addit quae ſequuntur: erant hi praeſtigiatores quidam (γοητες) ſeu magi in Theſſalia, qui luſtrationibus et incantationibus umbras eliciunt et pellunt. Hos arceſſiverunt Lacedaemonii, cum Pauſaniae ſpectrum turbaret, quicunque ad aedem Minervae Chalcioecos dictam accedebant, ut refert Plutarchus in exercitationibus Homericis (μελεταις ὁμηρικαις) *).

Mulierum philtra.

Credebantur porro feminae Theſſalicae venenis pellicere ad amorem homines poſſe, id quod Olympias crimini dabat earum alicui, cujus amore incenſum videbat Philippum. **) Quin quod majus eſt, mutare hominum formas in quascunque alias, magicis artibus exiſtimabantur feminae Theſſalicae, nec eae vetulae ſemper aut parum formoſae, ſed aetate et forma adhuc florentes. Uberius paullo hac de re diſſerit Lucianus, qui etſi ſatis diu poſt Periclis vixit aetatem: tamen quin hoc jam tempore eaedem viguerint ſuperſtiti-

*) Ariſtoph. Nubes act. II. ſcen. I. p. 169. Plat. Gorg. p. 349.

) Plin. XXX, I. *) Scholiaſt. Ariſtoph. l. c.

†) Plut. de Orac. def. p. 417. Conjug. praecept. pag. 145. T. II.

††) Charlev. hiſt. de la Nouv. France T. III, p. 400. Garcilaſſo de la Vega T. I, cap. 8. du Tertre hiſt. nat. des Antilles traite, 7. ch. I.

†††) Euripid. Alceſt. v. 1128.

*) Scholiaſt. ad hunc verſum. Hic quidem Plutarchi liber haud amplius exſtat, legitur tamen idem in alio ejus libello de ſera numinis vindicta T II, p. 560. Simul conſtat hinc pro ατταλιας legendum eſſe hoc loco Θετταλιας, quod ſuſpicatus jam eſt Baelius Rep. aux queſt. d'un provin. T. I, p. 345.

**) Plut. praecept. conjugal. T. II, p. 141.

ftitiones, dubito nullus, praesertim cum in fabulis de Medea antiquioribus similia jam cernantur, cumque Hippocrates eadem ferme sui aevi magos jactasse supra docuerit. Fingit igitur Lucianus, sese in Thessaliam iter facientem, cupidum simul fuisse cernendi prodigium aliquod a magis Thessalicis edendum, hominem volantem aut in lapidem versum. *) Forte in domum divertebat, ubi matrona ipsa his artibus erat dedita, et monitu ancillae, blanditiis ante delinitae, de nocte surgens, videt eandem prodeuntem nudam cum lucerna, thus in lucernae flammam, admurmuratis multis, injicientem. Tum arcam, cui plures inerant pyxides reserat, quodque ibi erat inclusum, oleo haud absimile, eo sese totam perungit, quo facto in avem mutata avolat. Cupidus et ipse fieri avis, rogat ancillam, ut sese etiam sinat eodem ungi oleo, at avis loco, pyxidum errore, vertitur in asinum. Solatur miserum ancilla, simul voraverit rosas, fore ut in pristinam redeat formam. **)

In veneficiis omnibus et incantationibus, etiam quae herbarum aliarumve rerum perficiebantur adminiculo, Hecate plurimum putabatur magos adjuvare, eamque maxime solebant invocare, ut diserte apud Euripidem fatetur Medea, jurans per dominam Hecaten, omnium sibi rerum gerendarum adjutricem. ***) Eadem tempestate Graeci, serpentes, scorpiones, araneas, feras quascunque deliniri carminibus posse, sibi persuaserant, auctore Platone, †) quod sitne ibidem natum an ex Aegypto invectum, definire equidem non ausim. Quodsi in animum revocamus, in fabulis de Medea similia jam de dracone vellus aureum custodiente, esse obvia; alias praeterea gentes antiquas praeter Aegyptios, ut Marsos, Psyllos, idem ab Aegyptiis non acceptum exercuisse; eo forte inclinabit animus, ut peregrinum id non existimemus. Hecate magorum patrona.

Quod autem de annulo Gygis, cujus ea erat vis, ut qui eum gestabat, oculis sese subduceret aliorum, gemma in interiorem manus partem conversa, Plato narrat, ex Aegypto aut Oriente mihi quidem videtur petitum. ††) Annuli enim, ut cetera arte facta, cum aliunde sint in Graeciam allati, cumque in antiquioribus Graecorum seu fabulis, seu rerum gestarum monumentis nihil huic simile reperiatur: aliunde hoc magiae genus videtur importatum. Annulus Gygis.

Praeter haec, alia veneficiorum genera Plato commemorat, quorum apud auctores vetustiores fieri mentionem haud memini. Verba philosophi ita sese habent: duo sunt veneficiorum genera, quorum alterum laedit et interficit homines vi naturae rerum insita; alterum ratione magica; huc referuntur incantationes, artes magicae (μαγγανειαι), ligaturae (καταδεσεις) aut, si malueris, nodi. De his, quomodo sese habeant revera, nec dicere in promptu est, nec etiam, si quis novit accurate, aliis ea persuadere facile. Cum tamen ab his timere sibi soleant homines, operae est persuadere iis, si forte viderint simulacra cerea ante januas, in triviis, aut parentum sepulchris, ut parvi faciant haec omnia, ut qui certi nihil habent ea de re exploratum †††). Apparet hinc nodis aut li- Ligaturae et nodi.

 gaturis

*) Lucian. Asin. T. III, p. 327.
**) Ib. T. III. p. 337.
***) Euripid. Medea v. 395.
†) Plato de Rep. II, p. 591. Euthydem, p. 207.
††) Id de Rep. II. p. 592 sqq.
†††) Id. de legg. XII, p. 976.



gaturis quibusdam homines male feriatos laedere alios studuisse, id quod apud plebem nostram etiam usuvenit. Has ligaturas, cum sint barbaris et aliis communes, dicuntur enim Groenlandiae incolae ejusmodi nodis ventos ligare, ut pro lubitu navigantium intendatur eorum aut remittatur vehementia, cumque haud absimile sit, quod legitur apud Homerum, utrem venti plenum secum abstulisse Ulyssem, quo ventum sibi secundum pararet: ortas in Graecia ipsa probabile existimo. Alterum vero, quod de cereis imaginibus, in triviis, ante januas, aut in sepulchris a maleficis collocatis, ut laederent corpora aliorum, a Platone affertur, aliunde in Graeciam forsan est illatum. Habet enim hoc artificii aliquid et studii exquisitioris, quam ut sponte inter barbaros facile nascatur, unde rara admodum ejus etiam apud peregrinatores hodiernos mentio. Quinam autem sint a quibus Graeci haec acceperunt, equidem non ausim definire, cum vestigium eorum apud Aegyptios aut Persas nondum viderim ullum. Ceterum Plato, etsi cetera non aversus a superstitione magica, ut pluribus infra docebimus; his tamen fidem non videtur adhibere, licet pro certo non audeat ponere, nullam omnino iis inesse vim.

Saga capitis poenam luens.

Exercebantur magica haec artificia a viris non minus quam mulieribus, Aristogitonis enim fratrem accepisse incantationes et veneficia, quibus medentur epilepticis, a muliere quadam, narrat Demosthenes. Simul adjicit, Athenienses vehementer haec omnia abominatos, ut Theoriden veneficam Lemniam cum omni ejus genere supplicio afficerent. *) Nihil id mirum, solent enim et barbarae gentes veneficas vehementer odisse; sed mirum tamen, nihil ante hanc tempestatem de veneficarum praestigiatorumque suppliciis scriptum apud auctores Graecos exstare.

Magia philosophica caput effert.

Apparet, ni fallor, ex his omnibus, magnos magiam peregrinam in Graecia hucusque progressus non fecisse, ut quae nominatim ab auctore nullo laudatur, cujusque exigua modo deprehendimus vestigia. At alterum magiae genus philosophicum, ante Alexandrum M. majora cepit incrementa, eoque ipso vulgari etiam ac plebejo viam munivit. Postquam enim Socratis genius philosophorum in se animos converterat, eique esse consentanea intellexerant philosophi, quae a Pythagoreis et in mysteriis tradebantur: plura de daemonibus coeperunt philosophari. Primum inter hos dubio procul locum tenet Plato, non ob ea tantum, quae de daemonibus scripsit, sed ob novum philosophiae ejus praecipue habitum, ad enthusiasmum et commercium cum naturis divinis valde accommodatum. Ac principio quidem, quod vulgus absque argumentis idoneis sibi persuadebat, esse genios, ei Plato inducere probabilitatem aliquam, philosophos etiam allicientem, nitebatur. Deos enim existimabat longo nimis intervallo ab hominibus distare, ut nulla inter utrosque intercedere familiaritas, nullum commercium queat. Ne itaque vacuum relinquatur id spatium, (quam enim nostri dicunt philosophi continuitatis legem, rationis nostrae indoli maxime congruentem, experientia insuper satis confirmatam, ejus sensum aliquem, sed obscurum habebat) esse naturas inter homines et deos medias, meliores hominibus, inferiores diis, quibus omnes mundi partes inter se copulentur, Plato inferebat. De his ita disserit: daemonum genus inter Deos hominesque est medium; id hominum preces, res sacras refert ad deos, Deorum voluntatem ac jussa, sacrificiorum et precum remunerationes defert ad homines; quod inter utrosque est spatii complet, ut per id universum vinculi instar sit copulatum. Hujus ope divinatio omnis, sacrorum ars, initiationes, incantationes, et praestigiae, seu artes magicae exercentur. Magna est horum daemonum multitudo et varietas. **) Hinc furor

*) Demosth. in Arist. I. p. 840. Frf. 1604.

**) Plato Conviv. p. 1194.

furor etiam ille divinus, qui animos hominum occupans, ut vera vaticinentur, efficit, dum a daemone extra se homines abripiuntur. *) Daemonum naturam alibi accuratius sic Plato definit: anima, mundi opifex, omnia quae esse poterant animalium genera procreavit, praeter Deos itaque quos cernimus, astra nempe, ex aethere formatos, alia etiam ex aere et aqua finxit animalia, in medio sita eorum, quae terrae plurimum habent, qualia sunt homines, quaeque insuper vivunt in orbe terrarum. Medium hoc animalium genus interpretis inter homines ac deos fungitur munere, quamquam autem hi daemones semper circa nos versentur, nunquam tamen manifeste nobis apparent. Magna sunt praediti prudentia, animique nostri sensus intimos habent perspectos, bonos probosque mirifice diligunt, improbos odio habent, doloris omnis et voluptatis, quorum sensus Diis non inest, non sunt expertes. Daemonum genus ex aqua factum cernitur nonnunquam, et ubi cernitur, in admirationem nos rapit. **)

Nititur in his omnibus vulgi et barbararum gentium notionibus Plato, morbos enim nonnullos miri aliquid habentes, furorem, insaniam, deliria febricitantium, cum multa, quae nuspiam sunt, appareant hominibus, cumque causa non sit in aperto; Deorum aut daemonum in animos hominum illapsui, omnis a cultu remota hominum aetas non potest non tribuere. Accedit, quod optime ceteroquin valentes, organorum vitio multa saepe nobis videmur audire, videre, aut tactu percipere, quae tamen non adesse reliquorum nos sensuum testimonium docet. Horum cum non intelligant causam homines literis nondum imbuti, a geniis ac spiritibus repetere eas non dubitant; quod autem omnium facile est maximum, terrores nocturni, voces per noctem clarius auditae, et ob id ipsum mirae nobis et insolitae visae, phantasmata ac spectra sensuum ludibrio, accedente insuper metu, nobis obversantia, et ob id ipsum sensuum aliorum adminiculo non sub examen accuratum vocata, esse daemonas et genios facile nobis persuadent. Hinc itaque nascitur ferarum gentium cunctarum opinio, esse naturas subtiles aereas, aqueas, per terrarum orbem vagantes, omnemque mundum esse daemonibus plenum, eosque res nostras curare et ad multa nobis posse prodesse, si eorum nobis valeamus amicitiam conciliare. Hanc vulgi opinionem, quae auctore Hesiodo Graeciam quoque antiquam pervaserat, ad rationes philosophicas Plato revocat, Daemonum genera et munera accurate definiens, et qua ratione differant, tum a Diis, tum ab hominibus, docens; simplicitas namque prisca, confusa geniorum notione contenta, differre Daemonas a diis et hominibus putabat, de discrimine accurate constituendo nondum sollicita. Ceterum de daemonibus malis nihil equidem legere me apud Platonem memini; nec adducor facile ut credam, naturas tam praestantes, a materia crassa, mali omnis secundum Platonem, pravarum cupiditatum, inimicitiarum, ac bellorum causa, adeo remotas, malitiae aliquid habere eum existimasse, ut quae a Deorum familiaritate eos exclusisset penitus, fungendoque officio redidisset ineptos.

Plato daemonologiae accuratioris auctor.

Daemonas cum putaret Plato diligere viros bonos, improbos odisse; non longe aberat ab opinione eorum, qui exercitium virtutum, vitaeque sanctitatem, conciliare nobis genios existimabant, id quod derivatum a Pythagoreis, in mysteriis esse traditum, a vero non abludit. Sed de his, deque ratione alliciendi genios, nihil in Platonis libris hodie legitur.

Mysticis hodiernis Plato haud absimiliis.

*) Plat. Phaedr. p. 1220.

**) Id. Epinom. p. 1010 sqq. cf. Apulej. de Deo. Socrat. T. II, p. 101.



gitur. Quaecunque autem fuerit hac de re Platonis sententia: philosophis eum secutis, his ipsis ansam ab eo, plura hac de re disserendi, esse datam, facile apparet.

De accessu mentis ad Deum.

Aliud praeterea philosophiae Platonicae inest, avide ab Alexandrinis arreptum, et ad enthusiasmi genus aliud tendens. Animis nostris additam esse divinae particulam aurae, sibi Plato persuadebat, adeoque Deo nos esse cognatos, inhaerere praeterea mentibus nostris ideas divinas, ex adspectu rerum divinarum haustas, priusquam corpori immergeretur anima, cum inter Deos adhuc versaremur, essemusque naturae divinae partes, ad harum contemplationem erigi animum a sensibus abductum, scrutandisque notionibus abstractis et rerum naturis ac generibus contemplandis deditum. *) Quicunque accesserit ad id, quod vere est (ον]ως ον) — id est quod mutationis, generationis, et corruptionis est expers, semper idem, ac naturae divinae — quicunque huic sese immerserit, vere vivit, indeque alitur. **) Mente igitur attingere Deum, accedere ad eum, ipsamque naturam divinam, possumus contemplari, eaque contemplatio summo nos ac vero perfundit gaudio, redditque beatissimos. Loquitur hac de re Plato toties, verbisque adeo efficacibus, ut lectores omnes non ante ab hac re aversos, et sensu quodam jucunditatis e rerum a corpore sejunctarum contemplatione tactos, accenderet ad idearum, rerumque sempiternarum investigationem vehementissime. Cum autem simul ita loqueretur, ac si naturae divinae nos conjungi, eique misceri hac contemplatione existimaret; in eam homines incautos et animo fervidiores induxit opinionem, posse nos mente a sensibus plane abducta, et extra corpus quasi abrepta, Deum intueri, summi boni illapsu in animum frui, ejusque lumine perfundi. At ea Platoni non placebant; ut qui propius quidem ad eestasin hanc accedit, abest tamen ab ea satis longe, cum nuspiam de ipsius numinis iutuitu, aut accessu mentis ad Deum, si verba accurate ponderes, sed de contemplatione notionum abstractarum, de exercitio rationis, quae est quasi Deus in anima nostra, deque conversione animae ad divinitatis hanc particulam, et inferioribus animae facultatibus erigendis ad partem hanc superiorem, loquatur. Numeris denique magnam vim tribuebat conditor Academiae, ut de quorum potestatibus in Timaeo pluribus disserit, proportionem in constituendis et servandis rebus valere plurimum docens. ***) Eorundem in libris de legibus ferendis, et reipublicae forma constituenda etiam meminit, numerumque civium certum plurimum putat ad perpetuitatem civitatis conferre. †)

Osthanes alter magiam profitetur.

In eo statu res fuere ante Alexandrum M., sub cujus aetatem Osthanes alter auctoritatem addidit professioni comitatu ejus exornatus, planeque, quod nemo dubitat, orbem terrarum peragravit. ††) Is ergo, in exercitu Alexandri dociles forte cum invenisset Graecos, esseque plures discendae ejusdem artis cupidos in Graecia audivisset, e Perside trajecit in Graeciam, mireque hominum pervertit animos. Idem ille intelligitur dubio procul in carminibus magicis ab Eusebio servatis, ubi, qua ratione coli se cupiant Dii, docetur. †††) Plura de hoc viro memoriae mandata non invenio.

Berosus astrologiam docet.

Ut magiam Persarum Osthanes, ita Chaldaeorum genethelogiam eadem tempestate in Graeciam invexit Berosus. Vixisse eum sub Alexandro M. diserte refert Syncellus.

*) Plat. Phaedro. p. 1222. **) Id. de Rep. VI, p. 675.

***) Id. Tim. 1048, 1050. Epinom. 1014.

†) Id. de leg. V, p. 846. ††) Plin. XXX, 1.

†††) Euseb. Praep. Ev. V, pag. 202.

ſus. *) Tatiani locus, non omni ex parte integer **), anſam diſceptandi eruditis praebuit; qui ſi eadem e Tatiano, laudato etiam ejus nomine, afferre Euſebium fuiſſent recordati, ad eumque recurriſſent; ſenſum Tatiani eſſe hunc vidiſſent: Beroſus Babylonius, ſacerdos Beli, vixit ſub Alexandro, Antiocho tertio Seleuci ſucceſſori hiſtoriam Chaldaeorum, tribus libris comprehenſam, inſcripſit, ***) quem ſenſum exhibet etiam verſio Bigniana. Is igitur Beroſus primus in inſula et civitate Coo conſedit, ibique aperuit diſciplinam. Poſtea ſtudens Antipater itemque Achinapolus, qui etiam non e naſcentia, ſed ex conceptione, Genethlialogiae rationes explicatas reliquit. †) Porro Beroſus a natione Chaldaeorum progreſſus, in Aſia etiam diſciplinam patefecit. ††) His addit Plinius, Athenienſes ei ob divinas praedictiones, publice in gymnaſio ſtatuam inaurata lingua ſtatuiſſe. †††) Quanta fuerit auctoritas viri, facile hinc perſpicitur; quantoque Graecos infecerit vanitatum aſtrologicarum ſtudio, obſcurum eſſe non poteſt reputanti ſcholam eum aperuiſſe. Cum itaque a duabus Orientis partibus ad Graeciam accederent ſimul artium arcanarum et mira omnia promittentium profeſſores, non potuit non, qui multorum philoſophorum ſtudiis cultus egregie erat ſenſus communis, ſenſim totus deleri.

Ariſtoteles cum ſuis inagiam oppugnat.

Tantus nihilominus adhuc inerat Graecorum animis vigor, tantumque veri ſtudium, ut efficerent haud multum Oſthanes et Beroſus, quaſi foedere inito Graeciam invadentes, et philoſophorum ſaniorum auctoritate et argumentis per aliquod tempus ſuperarentur. Obſiſtebat ingruenti ſuperſtitioni Ariſtoteles, magiam eſſe rem omni fundamento deſtitutam affirmans, *) miraculaque omnia negans, id quod diu ante eum fecerat jam Democritus. **) Cum enim praeter corporum coeleſtium animas, ſeu motores, alios eſſe nullos daemonas exiſtimaret Ariſtoteles; non poterat non, quaecunque daemonum ope fiunt, fictitia pronuntiare. Diſcipulus ejus Theophraſtus paullo fertur in ſuperſtitionem fuiſſe propenſior, et magicorum etiam verborum efficaciam non negaſſe, ***) ut de mira herbarum quarundam vi, quam indidiſſe iis naturam forte putabat, taceam. †) Nihilo tamen ſecius, pace Plinii dixerim, qui accurate Theophraſtum forte non perlegerat, a fide id mihi videtur alienum. Quoties enim de miris herbarum viribus loquitur, quae ab aliis iis tribuuntur, nullo adhibito judicio ſuo refert. Sic de elleboro nigro, vocari id Melampodium narrat, et adhiberi ad purgandas ſues, et oves, adjecta incantatione ††); ubi autem de polio agit, verbis diſertis ſuperſtitiones magicas ridet: abſurda ſunt et a fide aliena, inquit, quae de amuletis et viribus veneficiis inimicis, tum quoad corpora, tum quoad domos, multi exiſtimant, quo pertinet etiam, quod ferunt de polio, id ad omnem rem eſſe utile. †††) Magnopere hac tempeſtate magiae ſtudebant mulierculae, veneficae (φαρμακιδης) dictae, et pellicere ad amorem ferebantur homines, adhibito hippomane, quod fronti pullorum equinorum dicebatur adhaerere, odoreque ſuo in furorem

*) Syncell. chron. p. 11.

**) Tatian. adv. Graec. p. 65. apud de la Bigne.

***) Euſeb. praep. Ev. X. p. 493.


†) Vitruv. IX, c. 7. ††) Ib. IX, c. 4.

†††) Plin. VII, 37. *) Orig. contr. Celſ. I. p. 19.

) Ib. VIII. p. 407. *) Plin. XXVIII, 2.

†) Ib. XXIV, 3. ††) Theophr. de plant. IX, 11.

†††) Ib. IX, 21.



rorem agere equas, quam ob caufam ad veneficia et incantationes adhibebatur *). Credebat namque hominum fimplicitas, quod equae non admittant partum eo non guftato, **) ad amorem inflammandum id ubique valere.

Item Epicurus.

Sub idem tempus e philofophis, magicis et aftrologicis artibus vehementer fefe oppofuit Epicurus, omnia haec prorfus effe nulla affirmans. ***) Caufa eft in aperto, qui Deos aut plane tollit, aut regere mundum negat, qui praeterea nihil effe praeter corpora habet pro certo; is agnofcere artes magicas, et miracula, nulla poteft ratione.

Magiae fuccurrit Xenocrates.

Neglectam Empedoclis de geniis malis fententiam, fuam fecit Xenocrates, Platonis difcipulus, adjecto fimul, dies nefaftos aut atros, feftorumque eos, in quibus verbera, planctus, jejunia, voces malae, aut turpes adhibentur, non decere Deos aut daemonas bonos, effe autem in aere naturas magnas et validas, morofas easdem et atroces, quae hujusmodi rebus gaudeant, easque adeptae, ab omni maleficio abftineant. †)

Cap. VII.

DE MAGIA GRAECORVM, AD CAES. AVGVSTVM VSQVE.

Sub Ptolemaeo Philadelpho magnopere aucta eft magia.

Regnante in Aegypto Ptolemaeo Philadelpho magia altius extulit caput, mixtis inter fe, tot regnorum converfionibus et opportuno Alexandriae ad omnis generis commercia fitu, gentibus fere cunctis, gentiumque fuperftitionibus. Nec obftare ingruenti infaniae diutius valuit ratio fana, philofophorum argumentis munita, cum effent aliae longe graviores caufae, rationem omnem foras ejicientes. Eft enim ratio noftra res per fe imbecilla, quam cupiditates, egeftates, ac magnae fpes facile peffundant, quaeque auxiliis femper externis eget. Quamdiu, corpore fatis valente, ex voto omnia fluunt, nec adverfitates magnae aut calamitates, vitae neceffaria nobis eripientes, aut cupiditates rerum fuperfluarum, voluptatum exquifitiorum, exemplo aliorum vehementius accenfae, nos exagitant; recta plerumque via incedit ratio, ab opinionum monftris prudenter fibi cavens. Horum nihil hac tempeftate fuccurrebat rationi; refpublicae maximam partem regibus peregrinis parebant, aut fponte civium alicui cervicem praebebant, ut jugum imponeret; magnis diuturnisque bellis vaftatae erant regiones, ante opulentiffimae, et quibus bella reliqui aliquid fecerant, eas dominatio aut luxuria exedebant; ut adeo cupiditates vehementiffimae, voluptatibus et deliciis peregrinis inflammatae, unde reftinguerentur, non invenirent; et inopia magis magisque in dies crefcens, eos etiam, qui parvo erant contenti, fumma inficeret rerum omnium aviditate. Nihil fere mortalibus miferis aliud relictum erat folatium, ademta aut minuta magnopere fpe, induftria et ingenio parandi, quae ad vitam effent neceffaria, quam ut ad auxilia, naturae vires fuperantia, confugerent. Hinc itaque factum initium, avide colendarum artium, derifarum aut neglectarum, quamdiu effent certiora vitae fubfidia; hinc factum, ut magia, ad plebem infimam a ratione detrufa, emergeret, inque animos eorum, qui literis et artibus dederant operam, quique aut primum aut medium inter homines tenebant locum, fenfim fefe infinuaret. Nunquam enim prorfus exulavit haec ars, nec unquam in ulla gente aut civita-

te

*) Ariftot. hift. anim. VI, 22. VIII, 24. Virg. Aen. IV, v. 515.

) Plin. VIII, 42. *) Orig. contr. Celf. l. c.

†) Plut. de If. et Ofir. p. 361. T. II.

te plane exulabit: sed vicissitudines quasdam subiit, modo inferiorem, modo altiorem occupando inter homines locum. Quo propius ad barbaram feritatem accedunt homines, eo latius patet ejus auctoritas; quo magis coluntur literarum studia, rationis praecipue, in scrutandis rerum caussis et naturis, exercitium, adjecta libertate, demta saltem dominatione, succum et sanguinem animis pariter et corporibus exprimente: eo altius magia deprimitur, infimoque tantum hominum ordini adhaerescit, inhians occasioni emergendi iterum, simul luxuria ejusque comites, dominatio ac paupertas, plurimorum vim, et acumen ingeniorum, ad patrocinium sui suscipiendum avertit.

Philosophiae Cabbalisticae origo.

Ipso hoc tempore ortum forte est in Aegypto horrendum illud philosophiae Cabbalisticae monstrum. *) Judaei enim avidi semper miraculorum et vaticiniorum, stimulante insuper prophetarum auctoritate, qui ad intimam cum Deo familiaritatem sese affirmabant admissos, excolere hanc artem, et redigere in disciplinam vehementer cupiebant. Cum itaque mire his cernerent favere philosophiam Pythagoricam et Platonicam, quaeque ibi traditur, omnium e Deo rerum emanationem: accommodantes huic ea quae docentur in sacris literis, gradus excogitarunt, per quos ascendere ad Deum liceret. Repetendo praeterea e pristinis gentis superstitionibus, formulas et caerimonias magicas, a quibus, spretis legibus divinis saepe repetitis, et prophetarum monitis, nunquam plane abstinuerunt; additis etiam superstitionibus Aegyptiorum et Graecorum, magiae genus Cabbalisticum conflarunt, in quo nugas astrologorum, somnia Platonicorum et Pythagoreorum de commercio familiari cum geniis et angelis, fabulas plebis, et primae barbariei de vocum et formularum viribus, multo labore copularunt.

Caerimoniae magicae erumpunt in vulgus.

Caerimoniae magicae hucusque diligenter occultatae in lucem post Alexandrum M. magna vi proruperunt; documento est Theocritus, in Idyllio secundo, qua ratione Simaetha Delphidem, deserta ab eo, pellicere rursus ad amorem conatur, pluribus suaviter describens. Operae est haec tradere accuratius, ut interior magiae, e seculi genio varias induentis species, ratio inde perspiciatur. Sacro magico, quod noctu fit, adhibentur philtra in poculo ligneo servata, quod lana purpurea, id est taenia purpurea, redimitur. **) Accenso igne invocantur luna, et Hecate, quibus sacrum fit, roganturque, ut vim venenis, id est philtris, addant; invocatur etiam Jynx, Veneris, ut adjicit Scholiastes, avis, quam plurimum posse in sacris magicis arbitrabantur veneficae, praesertim amoris causa factis, ut adducat amasium ad domum amantis. ***) Precibus factis injicitur igni farina, quam θυλημματα etiam, notante Scholiaste, vocabulo proprio dicebant, dumque adoletur farina, ancilla jubetur haec verba adjicere: Delphidis ossa igni impono. Tum laurus crematur, adjecto voto, ut perinde Delphidis caro igne consumatur, id est, amore totus inflammetur. †) Ceram, id est ceream Delphidis imagunculam, ut equidem opinor, igne liquefacit, simulque precatur, ut eodem modo prae amore Delphis liquescat. Rhombum etiam versat aeneum, addens preces, ut eadem ratione Delphis ad suam januam circumagatur: surfures deinde mittit in ignem, Dianam quam supra dixerat, Hecaten denuo invocans, auditoque canum latratu, adesse in triviis Deam exclamans, famulam pulsare aera jubet. ††) Facta hinc ter libatione, et exsecratione mulieris

*) Bruck. histor. crit. philosoph. T. II, p. 944 sqq.

) Theocrit. Idyll. II. v. 1, 2. *) Ibid. v. 10-17.

†) Ib. v. 13-26. ††) Ib. 28-36.

lieris, quae forte ab se averterit Delphidis animum, ter repetita (est enim ternarius Diis praecipue gratus) fimbriam a Delphide amissam, igni immittit, minaturque sese lacertam tritam cras illi in potione oblaturam; quae, notante Scholiaste, arefacta et trita cum farina dabatur, et philtrum efficax habebatur. His dictis, jubet ancillam venena foribus Delphidis illinere parti superiori, et inspuentem aut susurrantem dicere, Delphidis ossa spargo. *) Liquet hinc, in poculo, de quo initio loquitur, habuisse eam herbas aut alia ex herbis, animaliumve partibus confecta, quibus addere vim philtri, sacrificio et precibus magicis conatur; liquet etiam veneficas credidisse, si quam vestium partem amissam ab eo, cui parabant venena, haberent, iis magnam inesse efficaciam, id quod nostris etiam sagis est persuasum. Hecaten autem cur praecipue in sacris magicis invocarint, haud videtur obscurum, fiebant namque ea noctu, noctis autem Dea est luna, Hecate eadem ac Diana existimata.

Babylonii arte magica inclyti.

In fine tandem carminis minatur venefica, se spretam porro ab amasio, vitam ei erepturam, habere enim in cista venena efficacissima, quorum parandorum rationem ab hospite Assyrio didicisset. **) Babylonii ergo tum temporis arte magica Graeciam magnopere jam infecerant. Tantam tum temporis in Hecate magi ponebant fiduciam, ut eandem docere etiam ac tradere hominibus artes magicas putarent, quibus fluminum sisteretur cursus, ignis inhiberetur vis, astrorum cohiberetur motus. ***) His addit Scholiastes, antiquitus veneficas solem et lunam deducere de coelo esse existimatas, horumque astrorum defectum ad tempora usque Democratis (forte Democriti) θεων καθαιρεσεις esse vocatas. †) Apud eundem, Medea herbam effodiens miris pollentem viribus septies abluit corpus aqua viva, septies Hecaten vocat, quo facto terra concutitur vehementius. ††) Herba hac tradita sibi a Medea, Jason, eodem fere modo quo apud Homerum Ulysses, umbras, Hecaten inprimis elicit, corpore nempe flumine abluto, scrobe effossa, igneque accenso, agnum immolat, et Hecaten vocat, quae audita voce cum draconibus et canibus infernis statim adest. †††)

Magiae incrementa sub Ptolemaeo Philopatore.

Ptolemaeo Philopatore Aegyptum regente in artem medicam irrepsere superstitiones magicae; is Andrea, quem Andrum interdum, nonnunquam Andrium, vocant scriptores, usus est medico, a quo in medicinae disciplinam primo incantationes sunt invectae. De hoc Galenus ita scribit: non est veterum medicorum quisquam, qui non aliquid arti contulerit ad medicamentorum scientiam, idque citra praestigiationem et mendacia, quae postea invexit Andreas. *) Probabile est Andream ab eo intelligi, quem sub Ptolemaeo Philopatore vixisse, modo dixi. **) Immo ante eum, regnante Ptolemaeo Evergete, navare Graeci magicis artibus operam coeperunt; Hermippus namque de tota arte, teste Plinio, scripsit diligentissime, multaque a Zoroastre de eadem in literis relata commemoravit ***); ut adeo ea jam tempestate impostores libros Zoroastri spurios tribuerint.

Nec magia etiam philosophica jacuit.

Quanta ceperint incrementa peregrinae artes magicae apud Graecos hac ipsa tempestate, quantaque celeritate per eam orbis terrarum partem sint diffusae, quae literis operam

*) Theocrit. Idyll. II. v. 43 - 63. **) Ibid. v. 160 sq.

***) Apoll. Rhod. Argon. III, p. 127. Basil. 1572.

†) Ib. p. 216. ††) Ib. p. 141. †††) Ib. p. 155.

*) Galen. de simpl. medic. facult. VI. prooem.

**) Fabr. Biblioth. Graec. Vol. XIII. p. 57.

***) Plin. Hist. N. XXX, 1.

ram navabat, e Romanorum etiam ſcriptoribus conſtat, quorum auctoritates ſuo loco afferemus. Interim magiae alterum genus philoſophicum non jacuit, ſed rei novitate et formae blanditiis, rationem ad ſe allicientibus, multos ſibi conciliavit patronos. Plato ſimul in Aegyptum, Ptolemaeorum enixe literas juvantium ſtudio eſt allatus, cum gentis ad enthuſiaſmum et vitam contemplativam, ut omnes ferme, qui ſole vehementiori incaleſcunt, pronae, mire placeret indoli: plauſu ingenti eſt exceptus. Contemplationis genus, quod ecſtaſin vocant, quoque animam aſcendere ad videndum Deum, videndas naturas corpore vacuas, hauriendam e fonte rerum omnium primo, de intimis, quae ſunt aut erunt, omnium naturis, cognitionem putant evehi, in calidioribus Orientis et Aegypti regionibus fuiſſe ſemper, et ſponte ibidem primo videtur prognatum. Nuſpiam terrarum myſticum theologiae genus frequentius eſt, et poſt hominum memoriam frequentius fuit, quam apud Indos orientales, quorum theologia ſecretior ab ea, quam nos eodem nomine vocamus, nihil fere diſcrepat, quaeque ad ultimam usque regredientibus antiquitatem eadem ſemper apparet. Cujus rei cauſae mihi quidem videntur haud obſcurae. Imaginandi vis ubi fuerit paullo vehementior, accedentibus ſimul rerum ad vitam neceſſariarum copia, eas parandi facilitate magna, coeli denique ardore, languorem corporibus inducente, et ad quietem invitante, animus in ſe totus converſus abducitur paullatim a ſenſibus, et delectatus tranquillitate, magnaque nihil agendi voluptate, in quietismum prolabitur, ſummum bonum eſſe nihili contemplationem, omnium corporis et animi virium quietem, et quaſi mortem, ab omnibusque et ratiociniis, et aliis rebus agendis vacationem, ſibi perſuadentem. Animo ita intra ſe concluſo, eodemque nihilominus quietis omnimodae natura ſuapte impatiente, naſcuntur phantaſmata mira, ſomniis ſimillima, et ſomniorum inſtar pro veris habita viſis, ad Deum naturasque incorporeas nos putamus ſublatos, inque alium plane ab eo, quem oculis cernimus mundum, ſed longe pulchriorem et diviniorem, ut ſolet vis imaginandi ornare omnia, et ex voto fingere, translatos. Hinc eſt, quod per omnem Orientem ſectae fere omnes ſacerdotum, contemplationem nihili vaſtiſſimi, vacationem ab omnibus vitae negotiis, animi a ſenſibus avocationem, luminis cujusdam divini intuitum, officiorumque civibus hominibusque debitorum neglectum, maxime ſtatuunt Deo placere, hominesque Deo reddere ſimillimos. Quae Orientis vaſtiſſimi, inque plures ceteroquin civitates et ſectas diviſi, cum ſit opinio communis, ab uno auctore non profecta: ex ipſa hominum natura dubio procul manavit, ipſaque hac tempeſtate jam in Aegypto etiam invaluit. Proxime ad hanc accedit philoſophia Platonis, eaque aut ſola aut praecipua, cur tam avide ab Aegyptiis viciniſque gentibus arriperetur, eſt cauſa. Solent quidem, qui hiſtoriam philoſophiae ſcripſerunt, id philoſophiae genus altero demum poſt Chriſtum natum ſeculo Alexandriae exortum tradere: ſed multa ſunt, quae ante id tempus, immo ſub ipſam literarum in Aegyptum migrationem, id eſſe prognatum ſuadent. In Philone enim Judaeo, qui ſub Chriſti nativitatem vixit, haud obſcura ejus cernuntur veſtigia, ut ex ipſis etiam, quae de magia mox afferentur, ejus verbis apparet; quibus omnium, quod equidem ſcio, primus duplex magiae conſtituit genus, alterum vulgare, daemonum et ſpirituum utens auxilio, alterum ſublimius et occultius, in Dei contemplatione occupatum, de bonorum et malorum tamen daemonum diſcrimine, ejusque in rebus magicis uſu, ne verbo quidem addito, ut intelligatur perſpicue, id diſcrimen tum temporis philoſophos adhuc neglexiſſe.

Verum,

Philonis Judaei de magia opinio.

Veram, inquit Philo, artem magicam, quae est scientia contemplativa (οπτικη επιστημη) sive malueris scientia, qua ipsas rerum absconditissimarum sublimissimarumque coram intuemur naturas, (οπτικη enim επιστημη altior ipsi esse τη θεωρητικη videtur, cujus etiam interdum facit mentionem, eandem autumans esse, quam definit Plato) quaque efficitur, ut quae fiunt in rerum natura perspicue magis intelligamus, cum sublimis habeatur, multoque certamine paranda, non privati solum homines, sed reges etiam, regumque maximi, Persarum praecipue reges, tanto studio appetunt, ut neminem ferant ad regium evehi fastigium, quin magorum sit familiaritate eam adeptus. Est vero ars prava ex hujus corruptione profecta, quam circulatores, haruspices, et mulierum servorumque pessimi profitentur, lustrationibus, expiationibus, et veneficiis sese amorem in odium sempiternum, odium in amorem vertere vehementissimum, philtris et incantationibus jactantes. *) Idem sententiam alibi clarius exponit his verbis; rari sunt viri prudentes, justi, probi, non tamen plane nulli, testes sunt Graeci et barbari. — In Persis enim magi rerum naturam veri perspiciendi causa scrutantur, et per otium divinas perfectiones (τας θειας αρετας) ut perspicue magis intueantur, mysteriis initiantur, aliosque iisdem initiis eodem perducunt; apud Indos Gymnosophistae, praeter disciplinam physicam, morum etiam philosophiam colunt; in Palaestina Essaei. **) Magiam ergo veram Philo intelligit mysticae genus philosophiae, quod theosophiae deinde vocabulo insignitum, in Aegypto et Oriente ortum, et Platonicae adjunctum disciplinae ac religioni Judaeorum non minus quam Christianorum, mira peperit opinionum monstra, interque ea magiam subtiliorem et sublimiorem prima specie, sed in phantasmata nihilominus portentosa desinentem.

Cap. VIII.

DE MAGIA ROMANORUM ANTIQUISSIMA.

Permixtis circa Christum natum Graecorum rebus et Romanorum, literisque ac opinionibus e Graecia in Italiam translatis, seorsim exponi Graecorum magia et Romanorum amplius nequit. Ut autem intelligatur, quantum Graecis debuerint et peregrinis Romani: regrediendum ad antiquissimas, quarum memoria exstat, Romanorum et Italorum superstitiones.

Numa Pompilius perhibetur magus.

Sub ipsum urbis Romae initium Numa Pompilius magicis fertur sacris Deos evocasse, Jovem inprimis coelo devocasse; constans certe fama est, eum Jovi Elicio in Aventino dicasse aram, ut eliceret ex mentibus divinis, qua ratione sacra, et sacrorum ritus omnes essent instituenda. ***) Id qua ratione sit factum, quamquam non explicet Livius; alii tamen, iique vetusti auctores, magicas adhibuisse Numam artes, produnt, interque eos L. Piso Frugi, laudatus a Plinio: L. Piso annalium primo auctor est, Tullum Hostilium regem ex Numae libris eodem quo illum sacrificio Jovem coelo devocare conatum, quoniam parum rite quaedam fecisset, fulmine ictum. †) Multa insuper alia de Elicii Jovis ara ferebantur, inter alia et hoc: Faunum et Picum ea tempestate peragrasse Italiam, praestigiis et magicis artibus claros, hos cepisse Numam, et Protei instar varias induentes anima-

*) Phil. de specialibus legib. p. 611. Colon. Allobrog. 1613.

**) Philo quod omnis prob. sit liber p. 678.

***) Liv. I, 20. †) Plin. XXVIII, 2.

animalium formas, coegisse tandem Jovem devocare de coelo, et praesentem Numae sistere, ut ab eo disceret portentorum et prodigiorum procurationem. *) Auctorem oppido antiquum hujus traditionis prodit Arnobius, Valerium Antiatem, quem, cum aliter nonnulla tradat ac Plutarchus, operae est audire: in secundo Antiatis libro talis perscripta est fabula: Numam illum regem, cum procurandi fulminis non haberet scientiam, essetque illi cupido noscendi, Egeriae monitu castos duodecim juvenes apud aquam celasse cum vinculis, ut, cum Faunus et Martius Picus ad id locorum venissent haustum, invaderent, constringerent, colligarent, — illos statim perdocuisse regem, quibus ad terras modis Jupiter posset sacrificiis elici. **) Intelligitur hinc simul, artes magicas e Romanorum traditionibus, antiquiores Numa in Italia esse habitas. De eodem Numa ferebatur et hoc: vocasse eum cives haud paucos ad coenam, iisque vasa vilia, coenam plebejam apposuisse: sub coenae initium dixisse Deam familiarem venturam, simulque ostendisse iis domum subito poculis pretiosissimis plenam, mensasque cibis exquisitissimis onustas. ***) Quod autem narrat Augustinus, Numam facere hydromantiam esse compulsum, ut in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes Daemonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere atque observare deberet; †) id vetusto caret auctore, et interpretamento seculorum postremorum haud est absimile, trahentium ad hydromantiam, quod de Pico et Fauno tradiderat antiquitas, quo scilicet res fieret ex eorum praejudicatis opinionibus facilior explicatu, et ad fidem accederet propius.

Unde petierit Numa artem magicam, deficientibus auctoribus idoneis, haud equidem ausim definire. Nota haec forte erant in Sabinis, forte ab Etruscis etiam desumta. Hos inter alia, vocibus etiam inesse potestatem averruncandi mala, sibi persuasisse, auctor est Afranius, voces Etruscas arse, verse, avertendo igni ostiis esse inscripta narrans, ††) quorsum pertinent Plinii quoque verba: etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur. †††) Summae haec esse antiquitatis, alia a Plinio loco laudato memoriae prodita satis demonstrant, quo referendum, ovorum, ut exsorbuerit quisque, calices frangi, aut eosdem cochlearibus perforari, pagana lege in plerisque Italiae praediis caveri; ne mulieres per itinera ambulantes torqueant fusos, aut omnino detectos ferant, quoniam omnium id adversetur spei praecipueque frugum; ungues resecare nundinis Romanis, tacenti atque digito indice, multorum pecuniae religiosum esse; sternutamento revocari ferculum mensarum; recedente aliquo ab epulis simul verri solitum. In antiquissimis Etruscorum superstitionibus fuit forte sacrificii etiam genus, quo avertere grandinem et tempestates cum imbribus ab agris studebant, Columellae adhuc aetate vigens.

Numa unde hauserit artes magicas, haud satis constat.

Ipsa novas artes varia experientia rerum
Et labor ostendit miseris ususque magister
Tradidit agricolis, ventos sedare furentes,
Et tempestatem Thuscis avertere sacris.

Hinc

*) Plutarch. Num. p. 70. T. I.

**) Arnob. adv. gentes V. initio.

***) Plutarch. Num. l. c.

†) August. de civ. Dei VII, 35.

††) Festus de verb. signif. I. columm. 1197. in cornu cop. lat. linguae Bas. 1536.

†††) Plin. XXVIII, 2.



Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, et extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris,
Utque Jovis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Saepe suas sedes percinxit vitibus albis —

Fuit in his etiam superstitio, qua feminam arva circumeuntem putabant erucas necare, qua de re infra dicetur. *)

Marsi magiae studiosi.

Praeter Etruscos Marsi etiam antiquitus incantandi habebantur peritissimi, teste Plinio loco eodem: non pauci etiam serpentes ipsas credunt incantari, et hunc unum illis esse intellectum, contrahique Marsorum cantu etiam in nocturna quiete. **)

Legibus XII tabularum magia prohibentur Romani.

Non esse autem vana haec, aut seculis demum serioribus ad exemplar superstitionum peregrinarum ficta, sed a primis inde temporibus plurimum Romanos tribuisse magicis aut verbis aut caerimoniis, ipsae duodecim tabularum leges demonstrant; quod enim lege cavetur, id necesse est patere latissime, et ab omnibus fere existimari damnosum. Erat nempe in juris hoc corpore lex, qua poena constituebatur capitalis ei, qui fruges excantasset, ut consensu plurimi scribunt auctores. ***) Alia ibidem lex, mala carmina vetabat incantare. †) Rudis adhuc antiquitas, ut egregie notat Seneca, credebat et attrahi imbres cantibus et repelli. ††) Hujus artis laude florebant maxime Sabini, unde Horatius carmina Sabella, tanquam efficacissima laudat. †††)

Cap. IX.

DE MAGIA PEREGRINA ROMAM TRANSLATA.

De Italorum necyomantia, cum supra, quantum satis est, sit dictum, nihil nunc addo.

Tempore Ptolemaeorum magia peregrina Romam migravit.

Quo tempore magia peregrina Graeciam invasit, eodem fere Romam etiam cum libris Graecorum commigravit; Ennius enim, qui sub Ptolemaeis vixit, diserte eorum jam fecit mentionem, astrologos Chaldaeos, et vates Aegyptios his verbis contemnens:

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium
Non enim sunt ii aut scientia, aut arte divini,
Sed superstitiosi vates impudentesque harioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam;
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera. *)

Eaedem

*) Colum. X, 353, 354.

**) Cf. Horat. epod. XVII, v. 29.

***) Plin. l. c. XXX, 1. Senec. Nat. quaest. IV, 6. Serv. ad Virg. Eclog. VIII, v. 98. Augustin. de Civ. Dei VIII, 19.

†) Plin. XXVIII, 2. ††) Sen. Nat. quaest. IV, 7.

†††) Horat. epod. XVII, v. 28.

*) Cic. de Divin. I, c. 58.

Eaedem tamen Graecorum literae simul etiam mali remedium afferebant, siquidem Ennius, ut addit Cicero, esse quidem Deos censebat, sed eos non curare opinatur, quid agat hominum genus. Epicuro itaque nomen videtur dedisse, ex ejusque disciplina argumenta contra magiam petiisse, quae magni profecto sunt ponderis, utpote experientiae superstructa.

Genera magorum peregrinorum.

Post Ennium magis invaluere superstitiones peregrinae, Attali cujusdam Grammatici opera, hunc enim arbitror intelligere Plinium: Attalus scorpione viso, inquit, si quis dicat duo: cohiberi nec vibrare ictus. *) Thessalorum veneficia eadem ferme tempestate Romae etiam inclaruerunt; quibus mentes etiam hominum putabantur perturbari. Primus, quod sciam, eorum mentionem facit Plautus:

Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui perverse perturbavit familiae mentem meae. **)

Chaldaeorum meminit deinde, ita tamen ut minime eis faveat, M. Cato, ***) idemque multum tribuebat verbis, aut sensu carentibus, aut barbaris, atque haec in luxationibus membrorum putabat efficacissima, in alio S. F. notas Vaeta, Daries, Dardaries, Astataries, vel hoc modo, huat, hanat, huat, ista, pista, sista, domiebo, damnaustra, vel hoc modo, huat, haut haut, ista, sis tac sis, ardannalon, dunnaustra. †)

Magi Roma ejecti.

Quantopere in valuerint superstitiones peregrinae, intelligitur hinc maxime, quod sub Catonis jam aetatem magistratuum edicto aliquoties sunt ejectae. L. enim Aemilius Paullus consul, cum senatus Isidis et Serapidis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet; posita praetexta securim arripuit, templique ejus foribus inflixit. ††) Causa quidem templi diruti non traditur, probabile tamen est, conjectores Isiacos, de quibus Ennium supra audivimus loquentem, sedem ibi praecipuam habuisse, et eapropter apud vulgus adeo sanctum id esse habitum. Cn. Corn. Hispallus praetor peregrinus aliquot annis post, Chaldaeos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia jussit, levibus et ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quaestuosam mendaciis suis caliginem injicientes. †††) Parum tamen hac lege videtur effectum, ejusque vigor brevi superatus ab ingruente superstitione; Cornelius enim Sulla dictator haud ita multo post legem tulit de veneficis et sicariis, qua venefici damnabantur capite, id est, qui artibus odiosis, tam venenis, quam susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint *) et qui mala sacrificia fecerit vel habuerit, venenaque amatoria habuerit. **)

Hydromantia Romam penetrat.

Sub idem tempus etiam alia peregrinae magiae genera Romam sunt allata; cujusmodi est, quod de divinatione hydromantica legebatur apud Varronem: Trallibus de eventu belli Mithridatici magica percunctatione consulentibus, puerum in aqua contemplantem simulacrum Mercurii, quae futura erant, CLX versibus cecinisse, item Fabium, cum D denarios perdidisset, ad Nigidium consultum venisse, ab eo pueros carmine instinctos indi-

*) Plin. XXVIII, 2.
**) Plaut. Amphitr. act. IV, scen. III, v. 9.
***) Cat. de R. R. c. 5. †) Ib. c. 161.
††) Valer. Max. I. c. 3. †††) Ibid. l. c.
*) Institut. IV, tit. 18. §. 5.
**) Digest. XLVIII, tit. 8. §. 13, 3.



indicasse, ubi locorum defossa esset crumena cum parte eorum, ceteri ut fuissent distributi, unum etiam denarium ex eo numero habere M. Catonem philosophum, quem se a pedissequo in stipe Apollinis accepisse Cato confessus est. *) Fuit autem is Nigidius, quem Figulum cognomine dicunt, magus et Pythagoricus; **) unde constat Pythagoreos mature admodum coepisse profiteri artem magicam. De eo nihil amplius prodi memoriae, quam quod astrologiae operam etiam dederit, dolendum; inde namque magis constaret, ante Christum natum Pythagoricam philosophiam, Alexandria egressam, ad magica et theurgica mysteria delabi paullatim coepisse. Leguntur apud eundem Varronem hodieque magica nonnulla e libris Saſernarum hausta, cujusmodi est, si quem glabrum facere velis, jubet ranam luridam conjicere in aquam, usquequo ad tertiam partem decoxerit, eoque ungere corpus. Porro, cum homini dolere pedes coepissent, qui tui meminisset, ei mederi posse; ego tui memini, medere meis pedibus, terra pestem teneto, salus hic maneto in meis pedibus. Hoc ter novies cantare jubet, terram tangere, despuere, jejunum cantare. ***)

Magna vi ingruunt superstitiones magicae.

Magistratuum edicta sprevit, brevique superavit gliscens superstitionis vis, siquidem Marii temporibus Chaldaei sacrificuli, et qui e libris Sybillinis vaticinabantur, Octavium Romae detinuerunt, fausta omnia promittentes, quae secus tamen plane ceciderunt. Miratur Plutarchus hunc virum, cetera recte sentientem, reique publicae amantem, ad has nugas, animi imbecillitate, delapsum, et cum vatibus ac circulatoribus, magis quam viris belli peritis esse versatum, quin in sinu interemti, tabulam cum figuris Chaldaicis, ferri inventam. †) Ex his omnibus intelligitur, magiam brevi, non plebem modo et homines rudes, sed principes etiam viros infecisse; ut adeo Graeci diutius vehementiusque primo superstitionibus obstiterint, cum pauci hac tempestate apud eos inveniantur eorum, qui altiorem in civitatibus gradum ascenderant, iis dediti. Cujus rei causae obscurae mihi quidem non videntur; Romanorum religio tota ad superstitiones magis inclinabat, siquidem in secretis pontificum libris multi erant eliciendorum numinum, devovendorum hominum, rerumque aliarum ritus perscripti, multaque in priscis Romanorum rerum scriptoribus exstabant miraculorum a sacerdotibus, auguribus, aliisque editorum exempla. De his operae est Plinium audire breviter haec perstringentem: alia sunt verba impetrantis, alia depulsoris, alia commentationis. Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus. Pertinet hoc dubio procul ad Atejum tribunum plebis, Crassum primo ne proficisceretur in expeditionem contra Parthos enixe rogantem, deinde, ubi nihil proficiebat, praecurrentem ad portam ibique accendentem focum, Crasso appropinquante, suffitibus et libationibus, imprecationibus denique, perniciem ei parantem. Has imprecationes, inquit Plutarchus, reconditas et vetustas, Romani dicunt eam habere vim, ut nemo iis devinctus possit effugere infortunium. ††) Et ne quid verborum praetereatur, pergit Plinius, aut praeposterum dicatur, vidimus de scripto praeire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat, alium vero praeponi, qui favere linguis jubeat, tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur — Duratque immenso exemplo Deciorum patris

*) Apulej. Apol. I. p. 165. T. II.

**) Fabr. bibl. Graec. Vol. I. p. 510.

***) Varro de R. R. I. c. 2.

†) Plutarch. in Mario p. 430. T. I.

††) Plut. in Crasso p. 553. T. I.

tris filiique, quo se devovere, carmen. Exstat Tucciae Vestalis incestae precatio, qua usa aquam in cribro tulit anno urbis DCIX — Vestales nostras hodie credimus, nondum egressa urbe mancipia retinere in loco precatione. Prisci quidem nostri perpetuo talia prodidere, difficillimumque ex his, etiam fulmina elici — In augurum disciplina constat, neque diras neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint. — Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus, ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. Durat in pontificum disciplina id sacrum, constatque ideo occultatum, in cujus Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Defigi quidem diris precationibus nemo non metuit. *) Altera hujus rei causa est, quod Romani, rituum et religionum patriorum tenacissimi, haud facile admittebant ad animum, quae essent iis elevandis, quodque philosophia et literae severiores sero demum aditum in urbem invenerunt, eoque tandem invento, a paucis tantum colebantur, plurimis militiae aut rebus civilibus deditis, ut quibus ad honores et opes aditus patebat facillimus. Hoc etiam tempore artem medicam invasit, corrupitque magna ex parte vanitas magica, Asclepiade, qui aetate magni Pompeji vixit, plurimum ei dedito, magnamque sibi, aliis etiam artibus, maxime loquendi facilitate, parante famam. **) Super omnia adjuvere eum magicae vanitates, ***) quae quales fuerint in Asclepiade, a Plinio pluribus non traditur. Specimen aliquod superstitionis exhibet Alexander Trallianus, morbum comitialem secundum Asclepiadem sanari clavo cruce fixo, aegri brachio alligato. †)

Poetarum de caerimoniis magicis testimonia non sunt repudianda.

Cum sub Augusto artes liberales, inque iis poesis maxime floreret, multaque soleant poetae de magicis caerimoniis inserere carminibus, ampliorem etiam ab hoc tempore artium magicarum apud Romanos habemus notitiam. Ne quis autem miretur, uti me poetis, hominibus fictioni plurimum indulgentibus, quibusque hanc ob rem omnis abroganda fides videtur; haec lectores reputare secum velim: fingunt quidem poetae, nec qualia sunt singula ita accurate describunt; sed fingunt tamen ita, ut a probabilitate, hominum opinionibus praeconceptis non admodum discedant. Quaecunque itaque nota sunt paucis, et in opinione versantur tota, in iis adhiberi poetas testes nefas non duco; magicos ex hac tempestate libros nullos habemus, quicunque de arte ista scriptum nobis quicquam reliquerunt, opiniones vulgi sequuntur, cum initiati non essent ipsi. Has ipsas opiniones sequuntur poetae, quos adeo haud injuria citavimus testes.

Virgilii pharmaceutica.

Primo itaque loco audiamus Virgilium, Theocritum imitantem quidem, sed ita tamen, ut in caerimoniis magicis singulis totus fere deserat magistrum. Femina amore insaniens haud secus quam apud Theocritum, carminibus magicis inflammare amasium frigidiorem nititur. Ancillam jubet afferre aquam, et altare vitta cingere, verbenas deinde et thus incendere. De his omnibus, excepto igne, nullum legitur in Theocrito verbum; e more sacrorum Romanorum haec adumbravit Virgilius, indeque praecipue sumsit verbenas, quarum maximus in sacris Romae erat usus. ††) Quod consequi incantationibus maxime cupie-

*) Plin. XXVIII, 2. **) Ibid. XXVI, 3.

***) Ibid. cap. 4.

†) Al. Trall. I. p. 15. Necyomantia seu Psychomantia, erant, qui Ciceronis adhuc aetate uterentur, quorum ipse Appium bis nominat in libro de Divinat. I. 58. Tusc. quaest. I, 16.

††) Plin. XXII, 2.



cupiebat, id versu saepius recurrente, quoties novi quid in sacrificio esset peractum, repetit:

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

Theocritum hac in re imitatus. Cui an inesse vis aliqua secretior sit credita, haud equidem ausim definire. In eo autem plane deserit Theocritum, quod Hecates aut lunae, cui maximam is tribuebat vim, plane non meminit, id quod, mea quidem sententia, non omni caret reprehensione, nisi enim adsit numen, venenis, nodis, aliisque caerimoniis addens vim, inane est et absque efficacia totum sacrum. Tum maga tria diversi coloris fila circumdat Daphnidi, id est ex interpretatione Heynii V. Cl., aut imaginem Daphnidis, aut Daphnidem animo obversantem fictumque gestu quodam his filis cingit, *) terque effigiem ipsam circum altare ducit, quia numero Deus impari gaudet. Est igitur id genus nodorum, quibus alligari sibi Daphnidis atque firmari putat amorem, idque apertius docent sequentia, quibus ancillam jubet nectere ternos nodos e tribus diversi coloris filis, et addere: Veneris vincula necto. Priori ergo caerimonia fila haec consecrabantur quasi et vim accipiebant a Diis, Daphnidis amorem constringendi, et hunc aggrediendi praecipuum. Singulare est etiam hoc, nec notum Theocrito, ut et quod de numeri ternarii et imparis additur potestate, Romanum quippe et hoc videtur esse, numeris imparibus magnam vim tribuentibus, ut docet Plinius interrogans, cur impares numeros ad omnia vehementiores credamus? idque in febribus dierum observatione intelligatur? **) Quod de febribus notat Plinius, originem simul superstitionis aperit, febris enim aliorumque morborum statis diebus reditus, crises morborum haud paucorum, inter alia supra jam commemorata, in eam adduxerunt homines opinionem, ut numeris ingentem inesse vim, in animum inducerent. Cum porro, sive casu, sive ob causam nondum investigatam, plurimi horum numerorum sint impares, febris enim tertiana est frequentissima, nonus aut septimus dies criticus in febribus ardentibus habetur; impares numeri superare pares potestate sunt putati. Quam parum autem sibi constent in his superstitionibus etiam, quamque adeo parum his omnibus insit certi, inter alia patet etiam hinc, quod numeri iidem efficacissimi, pessimi simul atque noxii existimantur; septenarius enim pessimae est notae. Ternarii quod attinet celebritatem, haud mihi quidem ea videtur explicatu difficilis. Quaecunque enim vehementius commoti agimus aut dicimus, solemus repetere ter, ultra raro progredientes, ipsa quippe repetitione jam satiati. Praecipue autem in rebus gratis, laetitiaeque sensu perfusi id facimus, indeque factum, ut ubique ferme gentium, si quorum felicitatem valde praedicamus, ter felices, ter beatos dicamus. Etiam si quos vehementer optamus accedere ad nos, aut juvandi nos, aut explendi amoris causa, ter solemus eos plerumque vocare, indeque ortum, ut Dii, quorum auxilium praesens expetebatur, vocarentur ter, numerusque ternarius sacer tandem existimaretur. Non est itaque, cur ternarium trahamus ad ternas Hecates potestates, ac naturas, quod vult Servius; hujus enim Deae in toto hoc carmine mentio non fit, alibi tamen, fieri sacra magica Hecatae, Virgilius non ignorat. ***) Duas deinde imagines, ceream unam, alteram e limo admovet igni, addit preces, ut eodem modo liquescat amore erga se, obdurescat alterius feminae amoribus. Una tantum cerea utitur Theocritus, hocque ipsius forte Virgi-

*) Heyne ad v. 73. Eclog. VIII.

**) Plin. XXVIII, 2. cf. Tibull. I. et II. v. 54. Ovid. Metam. VII, 189.

***) Virg. Aen. IV, v. 511, cf. Ovid. Met. VII, 194. Horat. Epod. V, 57. Sat. I, v. 8.

Virgilii debetur inventioni. Molam salsam igni injicere et cremari laurum, perinde ac Theocritus jubet. Praeclare autem his explicandis addit Heyne V. Cl. haec: magicae hae rationes fere symbolicae sunt, quarum congruentiam et similitudinem physicum aliquem effectum habere, hominum stultitia credidit. *) Nati sunt dubio procul plurimi ritus magici inter homines rudes ex animo vehementius commoto, et imaginandi vi inde magis agitata. Ut enim irati, non homines modo, sed etiam canes, quicquid eos laedit, aut impedimento iis est, etiamsi sensu plane careat, omni conatu invadunt, iramque in id effundunt; ut odio aut inimicitia vehementiori inflammati, aut amore et amicitia incensi, quicquid proprium est ei, quem exsecrantur aut amant, lacerant et rumpunt, aut fovent et tuentur, quasi eum ipsum his perderent aut juvarent: ita magicarum etiam caerimoniarum haud paucae per imagines, vestimenta aut alia, quae certis hominibus fuere propria, laedere eos, aut ad odium vel amorem student impellere. Hinc venefica exuvias etiam Daphnidis sub ejus limen defodit, qua in re a Theocrito etiam discedit Virgilius, de defossarum exuviarum vi prorsus tacente. Minatur deinde se herbis e Ponto petitis, quibus Moerin vertere se in lupum, animas sepulchris excire, messesque alio traducere vidisset, aggressuram Daphnidem. E Ponto namque Mithridatici belli temporibus superstitiones peregrinae haud paucae, magicae praesertim, atque Persicae, Romam afferebantur. Quae de cineribus tandem efferendis et trans caput in rivum fluentem abjiciendis, ita ut non respiciat ancilla, adduntur, obscuriora sunt, ut, quo tendant, haud facile expedias. **)

Magi abstinendum a Venere praecipiebant.

Magi et veneficae, si quid rerum difficiliorum vellent suscipere, a Venere putabant sibi abstinendum, ***) id quod e religione gentilium manavit, quae sacerdotes abstinere a Venere jubebat, ubi res divina esset facienda. In religionem autem irrepsit haec persuasio a prima inde barbarie, ut quae castitatem et abstinentiam a Venere, certis quibusdam temporibus, Diis judicabat gratissimam; ob eam forte causam, quod vigor animi remittitur, viresque corporis franguntur, proinde agi omnia, nec ea diligentia nec ea virium contentione possunt, qua agenda sunt sacerdotibus, agenda erant sacerdotum antecessoribus, magis et circulatoribus, vehementissima corporis agitatione divinationem ceteraque opera magica apud barbaros exercentibus.

Magorum potestas ingens.

Omnia ferme tum temporis efficere magi carminibus putabantur, fluminum cursum sistere, sidera retro vertere, manes ciere, de montibus arbores deducere, †) terram findere, nubila pellere, nives convocare, quaeque sunt alia, ††) quorum bonam partem supra jam ex Hippocrate commemoravimus.

Sub Augusto hominum etiam membris uti coeperunt magi.

Ab herbis et animalium partibus, quibus antiquior inhaeserat magia, ad hominum etiam membra regnante Augusto prolapsa jam erat superstitio; credebaturque hominis jecur et medulla plurimum posse ad inflammandum amorem. †††) Vivos itaque pueros veneficae defodiebant, et fame enectorum utebantur visceribus. *) Hac de re apud antiquiores scriptum nihil invenio, veroque adeo est simile, temporibus demum serioribus nefandam hanc superstitionem esse prognatam. Exhaustis namque omnibus fere,

 quae

*) Heyne ad Eclog. VIII, v. 83.

**) Virg. Eclog. VIII, v. 64.

***) Ovid. Metam. VII, v. 239.

†) Virg. Aen. IV, v. 487. sq.

††) Tibull. I, El. 2. v. 43. sqq.

†††) Horat. Epod. V, v. 37.

*) Ibid. v. 30.

quae rerum natura fert, plantis, animalibus, lapidibus, compertoque parum iis inesse auxilii, ad id quod cupiebant efficiendum, homines denique ipsos aggrediebantur magi, ne quid relinquerent intentatum. In sepulcris solebant porro mortuorum legere ossa, herbasque ibidem natas, *) ut quibus plus inesse virium, ob eam forte credebant caussam, quod quae sunt mortuorum, manes vehementissime movent. Ceterum quae hoc loco Horatius narrat de sacro magico, haud satis apte videntur sibi congruere: principio enim de necyomantia loquitur, animabusque eliciendis saganae, agnae pullae sanguinem effundunt in scrobem, deinde imagines subito producuntur in scenam duae, altera cerea, altera lanea, quarum haec morti miserrimae erat destinata; unde liquet sagas immittere alicui morbum et dolores vehementissimos voluisse. Tum Hecate apparet cum usitato canum ululatu. Necyomantiae nihil est cum eo sacro commune, quo absens morbis et cruciatibus devovetur, ut adeo manifestum sit, accurate harum rerum notitiam animo informatam non habuisse poetam.

Superstitiones magicae variis modis a magistratibus et imperatoribus oppugnantur.

Quam late superstitiones hujusmodi tum temporis grassarint, ex Augusti Caesaris etiam patet edicto, quo astrologi et praestigiatores (γοητες), id est magiam exercentes urbe ejiciebantur. **) Potentius tamen jam erat malum, quam ut edictis aut severitate principum compesceretur, siquidem haud ita multis annis post, imperante Tiberio, caput rursus extulit. Libo enim Drusus e nobili Scriboniorum gente, nec educatus illiberaliter, a Formio Cato ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impelli sese est passus, ***) eo usque tandem progressus, ut Junium quendam tentaret, ut infernas umbras carminibus eliceret. †) Hinc denuo mathematici et magi senatus consulto Italia sunt pulsi, in aliquos gravius adhuc est animadversum. ††) Ipse Germanicus magicis credebatur artibus interemtus, reperiebantur enim solo ac parietibus erutae corporum humanorum reliquiae, carmina et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres ac tabe obliti, aliaque maleficia, quibus creditur animus numinibus infernis sacrari. †††)

Nihilo tamen secius incrementa in dies capiunt.

Veneficia adeo erant frequentia, ut, quoties accusaretur vir aut femina nobilis, haec ei ferme objicerentur; Lepidae namque venena crimini haud ita multo post Libonem dabantur, *) Scauro magorum sacra ab accusatoribus objiciebantur. **) Ipse Tiberius quamquam acerbe magos puniret, non expers tamen superstitionis fertur fuisse, fidemque efficaciae artis non denegasse. Cum enim in somnis pecuniam cuidam dare juberetur; statim intellexit, utpote gnarus ipse somniorum indolis, daemonem sibi arte magica ab aliquo immissum. Hominem itaque interfecit, magos omnes, astrologos, vates necavit, cives, qui edicto priori non paruissent, in exilium egit. ***) Praeter Tiberium alii haud pauci dignitatis summae viri superstitionibus ejusmodi favebant. Marc. Servilius Nonianus princeps civitatis non pridem in metu lippitudinis, priusquam ipse eam nominaret aliusve ei praediceret, duabus literis Graecis P. et A. chartam inscriptam circumligatam lino,

*) Horat. Sat. I, 8. v. 22.

**) Dio Cass. XLIX, p. 417. Hanov. 1606.

***) Tacit. annal. II, 27. †) Ibid. c. 28.

††) Ibid. c. 32. †††) Ibid. c. 69. conf. Dio Cass. LVII. p. 615.

*) Ibid. III. c. 22. **) Ib. VI, 29. ***) Dio Cass. LVII, p. 612.

lino, subnectebat collo, Mutianus ter consul eadem observatione viventem muscam in linteolo albo; his remediis carere ipsos lippitudine affirmantes. *)

Quin medici etiam huic superstitioni vehementius coeperunt favere; Xenocrates enim Aphrodisiensis, qui vixit sub Tiberio, **) librum edidit, multaque admiscuit ad praestigias et magiam pertinentia. ***) Huc pertinent, quae de medicinis ex humani corporis partibus, basiliscis, elephantis, hippopotamis, faciendis philtris, odium conciliantibus, adversarios constringentibus, ut in judicio nihil possint eloqui, horumque similibus, forte scripserat Xenocrates; in hunc enim maxime invehitur Galenus. †)

Medicos etiam magis magisque invadunt.

Nihil etiam his proficiebatur poenis atque edictis; quo acrius vetabantur magi et puniebantur, eo vehementius ars ipsa expetebatur, ejusque exercitium propagabatur. Imperante Claudio rerum facies eadem, quae sub Tiberio, fuit, magicae superstitiones semper fere erant in criminibus, viris potentibus aut opulentis, quos perditos cupiebant imperatores, objectis, ut Lolliae, ††) Statilio Tauro. †††)

Nero artibus magicis novum addidit splendorem, ipse iis utens, ut abigeret speciem matris, verbera furiarum, et taedas ardentes, quibus ob interfectam per insidias matrem exagitabatur: factoque per magos sacro, evocare manes et exorare tentavit. *) Parum tamen omnia haec profuerunt; falsa enim vanaque Neronem haec comperisse, auctor est Plinius, addens simul, non citharae tragicique cantus libidinem ei majorem fuisse, neminem unquam ulli artium impensius favisse. Magus ad eum Tiridates venerat, Armeniarum de se triumphum afferens, et ideo provinciis gravis: navigare noluerat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam, fas non putant. Magos secum adduxerat; magicis etiam coenis eum invitaverat. Non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere voluit artem. **)

Nero magorum fautor insignis.

Exstiterunt etiam, qui artem abigendi grandinem, unde liberet, sibi vindicabant, quo in genere Cleonae ingentem sibi comparaverant famam. Quo orta sit tempore superstitio, haud constat. De ea haec narrat philosophus Stoicus: illud incredibile, Cleonis fuisse publice propositos χαλαζοφυλακας, speculatores futurae grandinis. Hi cum signum dedissent, adesse jam grandinem — pro se quisque alius agnum immolabat, alius pullum. Protinus illae nubes alio declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis — si quis nec agnum nec pullum habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi afferebat. Et ne tu avidas aut crudeles existimes nubes, digitum suum bene acuto graphio pungebat, et hoc sanguine litabat. Nec minus ab hujus agello grando se avertebat, quam ab illo, in quo majoribus hostiis exorata erat. ***) Cantum etiam adhibuisse eos, auctor est Clemens Alexandrinus. †)

Erant qui grandinem abigere se profiterentur.

Nec

*) Plin. XXVIII, 2.

**) Fabric. bibl. Graec. Vol. XIII. p. 452.

***) Galen. de simpl. medic. facult. VI. prooem.

†) Ibid. X. prooem.

††) Tacit. annal. XII, 22. †††) Ibid. 59.

*) Sueton. Nero c. 34. **) Plin. H. N. XXX, 1.

***) Senec. Nat. Quaest. IV, 6.

†) Clem. Alex. Strom. VI, p. 631.

Magiae genera alia.

Nec fuit tantum Cleonarum haec disciplina, alii literis easdem superstitiones mandaverant; carmina, inquit Plinius, quaedam exstant contra grandines, contraque morborum genera, contraque ambusta. *) Late id superstitionum genus manasse colligitur ex quaestionibus et responsionibus ad Orthodoxos, quae Justini Martyris nomine circumferuntur, ubi νεφελοδιωκται dicuntur, quos χαλαζοφυλακας Seneca vocat, iidemque grandinem et imbres, quocunque liberet, dicuntur mittere. Negat auctor, quod in sacris literis talia non doceantur, fieri id posse. **) Magicarum artium qui fuerit status hoc tempore, ex Plinio perspicitur optime, ut qui plurimis, quotiescunque offertur occasio, de iis disserit. Sunt quidem in his multa procul dubio antiquiora; sed cum horum non constet aetas, huic tempori ea judicavi vindicanda. Sunt autem haec tam multa variaque, ut, ne taedio sint lectoribus futura, jure verens, harum rerum curiosos ad ipsum auctorem malim ablegare. ***) Abunde ex omnibus his perspicitur, gemmarum colore, figura, nominibus, similitudine etiam, quam habere cum stellarum aut figuris aut coloribus videbantur, aliisque ejusdem commatis argumentis inductos homines superstitiosos, rerumque naturae ignaros, portenta ejusmodi excogitasse. Quo ipso satis evincitur, ab hominibus rudibus adhuc, aut superstitione etiam pessumdatis adeo, ut rationem omnem quasi ejurarent, et ex animo dedita opera abigerent, id magiae genus esse invectum et promotum. Quicunque enim disciplinis physicis aliquantum impendit operae, duci e similitudine ejusmodi nulla plane indicia de intimis lapidum viribus posse, statim intelligit. Est autem ratiocinandi id genus proprium infantibus rudibus, et hominibus in prima adhuc barbarie degentibus, ut qui ignari regularum, ad quas ratiocinia sunt exigenda, quae sunt similia esse eadem, iisdem pollere viribus, statim concludunt, non animadvertentes similia videri multa sensibus, revera maxime dissimilia, speciemque externam a natura interiori haud raro distare longissime.

Animalium partibus usi sunt magi.

Quae de herbarum viribus habet Plinius, †) praetereo, properans ad animalium partes, quas superstitio est adorta, ut praesidium inde peteret, maxime eorum qui ob raritatem, aut singularem animi corporisve habitum, aut similitudinem nominis cum astrorum appellationibus, virium mirificarum spem fecerant. Dextra pars proboscidis (elephanti) cum Lemnia rubrica alligata, impetus libidinum stimulat. Magorum vanitas perunctis adipe leonis, faciliorem gratiam apud reges populosve promittit, praecipue tamen eo pingui, quod est inter supercilia, ubi esse nullum potest. Similia dentis, maxime a dextra parte, villique e rostro inferioris, promissa sunt. Setae cameli e cauda contortae, et sinistro brachio alligatae, quartanis medentur, etc. ††)

Superstitiones aliae.

Reliquis ejus generis, quae plurima Plinius tradit, ne taedio sint, omissis, pauca adhuc de efficacia humanorum gestuum et membrorum adjiciam. Assidere gravidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter se amplexis, veneficium est; item poplites alternis genibus imponi, ideo haec in consiliis ducum, potestatumve, fieri vetuere majores, velut omnem actum impedientia; vetuere et sacris votisve simili modo interesse. Clavum defigere in quo loco primum defixerit caput corruens morbo comitiali, absolutorium ejus mali dicitur. Numerum quaternarium Demetrius condito volu-

*) Plin. XXVIII, 2. **) Justin. Mart. quaest. 31.

***) Plin. XXVI, c. 9. XXVII, 13. XXIX, 4. XXXVII, 9, 10, 11.

†) Ib. XXV, 2, 4, 5, 9, 10. XXVI, 4. XXVIII, 8, 13. ††) Plin. XXVIII, 9.

volumine, et quare quaterni cyathi ſextariive non eſſent potandi, prodidit. Oſthanes contra mala medicamenta omnia promiſit auxiliari, matutinis horis ſuam cuique urinam inſtillatam in pedem *) etc.

Fuit Plinii aetate Apion etiam Grammaticus, qui prodiderat, ſe auxilio cynocephaliae herbae, quae in Aegypto vocatur Oſyrites, evocaſſe umbras ad percontandum Homerum, qua patria, quibusve parentibus genitus eſſet, non tamen auſus profiteri, quid ſibi reſpondiſſet. **) Apionis necyomantia.

Cap. X.
DE INCREMENTIS MAGIAE AD SECVLVM VSQVE TERTIVM.

Sub idem tempus, imperante Claudio, inclaruit Simon Magus e Samaria oriundus. Is a daemonibus adjutus, magica multa exhibens ſpectacula, Deus Romae dicitur habitus, ſtatuaeque honorem adeptus, addita inſcriptione: Simoni Deo Sancto. ***) Omnem plane ſuperant fidem, quae de eo tradunt Arnobius †), et recognitionum Clementinarum auctor, per aerem eum vectum quadrigis igneis, Petri apoſtoli voce praecipitatum ad terram, formam quoties lubuerit mutaſſe, et quae ſunt alia haud minus portentoſa. Hinc de ſtatua publice ei poſita quod narrant, fidem etiam vix facit, praeſertim cum in auctoribus profanis, qui rem adeo claram ſilentio non praeteriiſſent, nihil de ea ſcriptum inveniatur. Propius fidem eſt, hominem Pythagoreorum et Platonicorum captum ſplendidis mendaciis, eorumque perſuaſionibus magicis irretitum, edere miracula ſeſe profeſſum. Quae de animorum docebat migratione deque Deorum et geniorum ordinibus, licet ſatis explicate ab auctoribus non tradantur, abunde id perſuadent. Apparet hinc philoſophiam Platonicam in Aegyptum importatam, mature multorum pervertiſſe ingenia, ſomniisque monſtroſis locum feciſſe, ut adeo probabilitate non deſtituatur, hunc hominem magiam philoſophicam aliqua ratione auxiſſe. Nactus eſt Simon diſcipulos haud paucos, ſectaque ejus aliquamdiu eſt continuata. ††) Simon Magus.

Cujus rei documentum exſtat luculentum in Apollonio Tyaneo, ſub idem fere tempus fama praeſtigiarum et miraculorum totum fere orbem Romanum implente. Omnium is auctorum conſenſu inter magos celeberrimos numeratur †††), tanta antiquitatis totius admiratione, ut Alexander Severus imperator in larario ſuo (in quo et divos principes ſed optimos electos, et animas ſanctiores, in queis et Apollonium et quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, et Orpheum et hujusmodi Deos habebat, et majorum effigies) rem divinam ei quoque faceret *); tanta auctoritate, ut philoſophos non ſpernendos, interque eos etiam Epicuri ſectatores ad ſe alliceret. **) Multis Apollonius miraculis inclaruit, quorum aliqua e Philoſtrato, qui vitam ejus ſcripſit, afferam: vinculis ſe, nullis factis precibus, ſacrificiis aut caerimoniis aliis peractis, exſolvit. Apollonius Tyaneus magus.

*) Plin. XXVIII, 6. 7. **) Ibid. XXX, 2.

***) Juſtin. Apol. pro Chriſt. I. p. 69. Paris 1615. Iren. adverſ. haereſ. I, 20. Clemens Roman. Recogn. II, 12.

†) Iren. Clemens, l. c.

††) Orig. contr. Celſ. I. p. 44. Aug. de haeres. Cap. I. Juſt. Clem. l. c.

†††) Apulej. Apol. II, p. 216. Lucian. Pſeudomant. Opp. T. I. p. 513. Orig. contr. Celſ. VI, p. 302.

*) Lamprid. in Alexand. Sev. c. 29.

**) Orig. contr. Celſ. VI, p. 302.

vit. *) Achillem, precibus in India acceptis, ex inferis excivit. **) Ephesum accersitus, ut mederetur morbo pestilenti, momento temporis, pervenit, ut duobus adeo locis esset simul, daemonemque morbi causam urbe ejecit, statua averrunca posita. ***) Alia ejus miracula prolixius a Bruckero tradita †) brevitatis causa omitto. Telesmata porro, id est statuas aliaque, quibus averruncarentur mala plurima, alia aliis locis erexit, quorum auctoritas erat summa. Nec solus haec narrat Philostratus, sed alii ei assentiunt auctores, quos favisse Apollonio, affirmare non licet. Inter alios, qui quaestiones et responsiones ad Orthodoxos sub Justini matyris persona scripsit, cujus verba apponam: Apollonii τελεσματα, ut videmus, maris impetum, ventorum vehementiam, murium ac bestiarum in cursiones arcent. ††) Qui plura hujusmodi scriptorum testimonia cupit noscere, adeat Reicheltum de Amuletis †††) et Arpium de Talismanibus. *) Patet itaque hinc, non omnia finxisse Philostratum, aut quem is auctorem sequitur Damidem, sed secutum maximam partem famam, hominumque de Apollonio opinionem. Attamen cum nulli exstent, qui ea tempestate curiosius observarent Apollonium, in ejusque res gestas inquirerent eadem ratione, qua in Alexandri vatis, Apollonii discipuli, Lucianus; ratio rei gestae exponi, immo ne quidem quousque indulserit Philostratus, mentiendi libidini, definiri accurate nequit. Ficta tamen esse haec miracula, aut arte quadam simulata, facile largietur, quicunque rerum naturae, hominum indolis, seculi inprimis hujus genii, non plane est ignarus. Argumento est, tum quod ejecto daemone, pestilentiam narratur finibus Ephesiorum expulisse, satis namque constat hodie, morborum causas non esse daemonas, aliaque ratione, quam in exilium agendis daemonibus, morbos pestilentos sanari: tum quod Alexander discipulus ejus, magnam quoque nactus nominis celebritatem, quemque totus ferme Oriens sequebatur, ac Dei instar prope colebat, manifestae est imposturae convictus. Quodsi alias magister artes calluisset, meliora profecto discipulum docuisset. Quae privatim Apollonium inter et Damidem sunt gesta, fingi facile pro lubitu, aut augeri in majus potuere, his adeo nihil omnino inest, quod faciat fidem, si quis in admittendis hujusmodi miraculis paullo est difficilior. Quae publice autem sunt facta, iis veri quid subest, at credulitate et verborum praestigiis auctum in immensum. Telesmatum namque, ut et aliorum hujus furfuris operum efficacia, opinione magis quam ex vero aestimatur, venti, tempestates, impetus maris, impressa semel animis hominum opinione, de vi amuleti, minores existimantur; ut solent homines, quales cupiunt esse res, aut esse eas in animum semel induxerunt, tales etiam eas sensibus percipere, maxime ubi gradibus tantum differunt. In sanandis autem morbis, futuris divinandis quantum valeat opinio praeconcepta, et phantasiae vehementia, infinito experimentorum numero constat, ut adeo morbos quosdam sanasse Apollonium, futura quaedam casu cecinisse, a fide non sit alienum. His omnibus addendum denique, hominum plurimorum mentem adeo hac tempestate a praestigiatoribus omnis generis, magis, veneficis, vatibus, jam fuisse perversam et occoecatum, ut ad credenda, quaecunque narra-

*) Philostr. vit. Apoll. VII, 38.

) Ibid. IV, 16. *) Ibid. IV, 10.

†) Bruck. Hist. Crit. Phil. T. II, p. 98. sqq.

††) Justin. quaest. ad Orthod. quaest. 24. Anastas. quaest. 23. in script. f.

†††) Reichelt. de Amulet. p. 40. sqq.

*) Arpe de Talisman. p. 25.

narrarentur mira, sponte ferrentur, examine accuratiori plane seposito, utque adeo mirum non sit, deceptos, qui decipi vehementer cupiebant, quin nec mirum sit, Epicureos leviores a turbine abreptos, ad Apollonium defecisse.

Magiam philosophicam profitetur Apollonius.

Cum magia infamis hoc tempore jam haberetur, essetque pluribus imperatorum edictis, senatus consultis, et legibus ea interdictum omnibus: hanc Apollonius summo studio amoliri a se nititur. Quod per nebulam quasi vidit, magiam inter et praestigiarum aut incantationum artem, discrimen Philo, idem in usus etiam suos convertit Apollonius, ulterius quidem hac in re progressus nonnihil, sed rem tamen omnem nondum tenens, ut satis inde elucescat, novum id adhuc et prae novitate parum ab hominibus fuisse intellectum. Quod quo magis appareat, audiamus Philostratum, immo et Apollonium nonnunquam ipsum. Fatetur ille, Pythagorae non instituta modo, sed miracula etiam, imitatum Apollonium, a magia tamen semper fuisse aversum, hanc ei per calumniam ab adversariis objici, aut affingi, sapientiae in eo fuisse tantum, ut quae alii magicis artibus, is solius sapientiae auxilio efficeret. *) Pythagoreus semper videri Apollonius et haberi voluit, simiae instar in omnibus fere Pythagoram referens. Quin itaque e Pythagoreorum et Platonicorum maxime schola profluxerit novum hoc magiae genus ad Apollonium, negari nulla ratione potest. Magiam intelligit Apollonius artem eam, quae sacrificiorum, caerimoniarum, verborum, ac formularum ope mira efficit, id est quodcunque γοητειας μαγγανειας nomine solet venire, addita maxima quoque magiae parte, si sensu accipiatur non malo. Discrimen daemonum in constituenda differentia magiam inter et praestigiatorum artem, diserte aut oblique nuspiam agnoscit Apollonius, aut Philostratus, ut ignorare id videantur penitus. Magus ergo, inquit, non sum, sed vir divinior, a Deo ipso in perpetrandis omnibus miris adjutus, precibus, formulis, sacrificiis uon utor, semper mihi adest Deus, semper quae cupio facit, circulatores istos atque nebulones longo post me intervallo relinquo. De his ita disserit Philostratus, postquam Apollonium vincula exuisse absque caerimoniis ullis narravit: ad magicam γοητειαν haec homines simpliciores referunt, qua athletae, et qui de corporis viribus ineunt certamen, egent, victoriam vehementer appetentes. Nihil tamen eos juvat; si vicerint casu, acceptum id miseri huic arti ferunt, cujus ne victis quidem minuitur auctoritas. Si hoc sacrificassem, illud adolevissem, dicunt, elapsa mihi victoria non esset. Ob eandem causam penetrat et in domos mercatorum ars praestigiatorum, nam et hos videmus mercaturae lucrum praestigiatori, damnum suae tribuere parsimoniae. Maxime tamen amantes ad se pertraxit, et quasi inflammavit, qui cum laborent morbo adeo exponente se imposturis, ut vetulas etiam consultum super res suas adeant; nihil mirum eos veteratores hosce convenire, ab iis cestum et lapides accipere, erutos partim e terrae visceribus, partim e luna et astris delapsos, aromata insuper quaecunque ferunt Indorum horti. Qua ratione prodigia haec ab hominibus edantur, in litteras a nonnullis, artem affatim irridentibus, sunt relata; mihi quidem fixum ratumque est, adolescentes ne loqui quidem cum ejusmodi hominibus debere, addit Apollonius, ne per lusum et jocum his artibus assuescant. Sed quid pluribus, Philostrati sunt verba, invehar in rem naturae et legibus invisam? **) Sobrie haec et egregie adeo disserit Apollonius, ut e medio Peripato, aut horto Epicuri credas philosophum audire disputantem. Ab hoc tempore, quae confundi alias solet cum magia, usurpari tamen in partem deteriorem, γοητεια, in quam et magia accipitur, saepissime sejuncta est a

 magia,

*) Philostr. vit. Apoll. I, 2.

**) Ibid. VII, 39.



magia, ut huic infamiae nota semper adhaereret, illa post Apollonium ex ignominia rursus emergeret et deficiente vocabulo commodiore ad summum etiam honoris fastigium ascenderet.

Cognationi hominum cum Deo magiam inaedificat Apollonius.

Quam igitur callebant artem praestigiatores et magi vulgares, ab ea longe abest Apollonius, suae nomen ponit nullum, per ambages et obscurius interdum definiens, quam ejus putet esse indolem ac naturam. Omnis, inquit, sui suscipiens defensionem, ars praeter philosophiam veram ad parandas opes exercetur. — Est autem genus aliquod sapientum falsorum, de quo cave existimes esse eos, qui divinant, divinatio, si vera est, maximi est pretii, an autem sit ars, adhuc ignoro. Voco autem praestigiatores sapientes falsos, divitiis namque hi maxime inhiant, a quo semper ego abhorrui vehementer, ut adeo accenseri his nequeam. *) Sapientiam meam non inveni ipse, sed haereditate quasi a Pythagora accepi, instituta ejus ac praecepta sequens. **) Veste utor lintea, ut quae puritatem mihi praestat, cujusque usus nocturnus puros nos reddit, somnia enim sunt veriora. ***) Homines Deum me esse in animum non induxerunt, id modo existimantes, intercedere Deos inter et homines cognationis vinculum, vi cujus divinitatis quodam modo homines sunt participes, id quod ipsa hominum etiam testatur forma. Persuasum porro est omnibus, animi ingeniique virtutes a Diis manare ad nos, quique iis sunt ornati, Diis esse proximos atque divinos, vel ipso Apolline teste, cujus oraculum cum adiisset Lycurgus, respondit Apollo: dubitare se hominemne an Deum appellet eum. Indorum philosophia, quam hac in parte probant etiam Aegyptii, Deum condidisse cuncta docet, ita quidem ut ipsum esse acceperint a Deo, causam condendi esse bonitatem. Bonus ergo cum sit Deus, virum bonum ajo divinitatis esse participem. †) Haec quo tendant, philosophiae Eclecticorum non ignarus facile perspiciet. Rerum omnium e Deo emanationi favet Apollonius, hac ipsa tempestate in lucem emergenti, etsi obscurius jam et aliqua ex parte a Platone et Pythagoreis forte traditae. Haec animam nostram divinae esse particulam aurae ponit, materiae labe contaminatam, indeque a Deo sejunctam, accedere tamen propius ad Deum et recuperare vires et potestates divinas, mirificas, a fece materiae purgatam, eoque ipso dignitati ac splendori pristino restitutam.

Emanationi omnium rerum e Deo favit Apollonius.

Haec sentire Apollonium, ne quis temere existimet conclusum; ipsis jam ejus verbis doceamus. Victus, pergit, meus longe ab aliorum distat vivendi ratione, cibo utor tenuissimo, idque sensus meos, arcani instar, servat integros, turbidum omne ab iis arcens, ut quaecunque fiunt aut sunt futura, tamquam in speculo purissimo intuear. Non enim exspectabit sapiens terrae exhalationem, aeris corruptionem, ut praevideat morbos pestilentes; sed sentiet ea ventura, serius quidem Diis, citius tamen vulgo. Dii futura, homines praesentia, sapientes appropinquantia cernunt. Hic itaque victus sensibus conciliat subtilitatem, aut vim aliquam, maximis stupendisque rebus efficiendis idoneam. ††) Equidem maxime omnium sum persuasus, viris sanctis et sapientibus sua Deos consilia aperire. †††) Ad theosophorum ac mysticorum proxime haec accedere disciplinam, satis hinc puto apparere, esseque insuper affinia iis, quae e Philone supra attulimus. Unde

*) Philostr. vit. Apoll. VIII, 3.

) Ibid. cap. 4. *) Ibid. cap. 5.

†) Ibid. cap. 7 s. 3-7. ††) Ibid. cap. c, 7. s. 9.

†††) Ibid. sect. 10.

de sequitur porro, quae de rerum omnium emanatione e Deo, de mentis ad Deum accessu, viribusque divinis ex hoc fonte hauriendis, aut recuperandis, deinde docuerunt Eclectici et Pythagorei minores, ante Plotinum jam innotuisse, hausta tum ex Platone tum ex Orientis ac Aegypti ad enthusiasmum propensione insita. Ceterum subtilitatis plurimum ei accessit Eclecticorum seriorum studiis, ut patebit infra. Fuit autem dubio procul hoc quoque inter ea, quae Ammonius Saccas εν αποῤῥητοις docebat.

Magiae vulgaris incrementa.

Ex Lucano, qui vixit sub Nerone, discimus, magiam vulgarem ad nova, magisque horrenda prolapsam esse scelera; certe leguntur apud eum, quae scriptores priores non tradiderunt. In sacris magicis fila magica vertigine torta, adhiberi solita scribit, *) id quod apud Theocritum supra etiam vidimus; instrumentum tamen accurate ibidem non invenimus descriptum, quin verba scholiastae subinnuunt singulare quid aut mirandum in eo non fuisse. Cum autem praeter Chaldaicam, Aegyptiaca etiam hac tempestate jam innotuisset magia, **) idque instrumentum ad rationes astrologicas, et superstitiones peregrinas sit compositum; ad hanc aetatem commodissime videtur referri. Hi namque homines operandum esse circa Hecaticum strophalum, praecipiebant, ***) ut cui insit magna vis magica. Ibi Psellus, Hecaticus, inquit, strophalus est sphaera aurea, quae includit sapphirum, loro bobulo agitata, referta characteribus. Hanc circumrotantes invocabant Deos aut Daemonas. Atque ejusmodi sunt, quae Jyngas vocare solent, seu sphaericam habeant, seu triangularem, seu quamvis aliam figuram. Talia autem moventes, sonos inconditos vel belluinos edunt, ridentes et aerem verberantes. Vocatur autem strophalus ille Hecaticus, quia Hecatae dicatus est. Hecate autem Dea est apud Chaldaeos ad dextram habens virtutum fontem. †) Recte in indice octavo notat Clericus, Hecaten non esse originis Chaldaicae, sed a Graecis Chaldaeorum aliquod numen hoc vocabulo insigniri.

Sagarum artes.

Magam porro Thessalam, narrat Lucanus, vivos defodere homines, a rogis rapere corpora nondum perusta, e sepulchris eruere humata, ut oculos iis eruat, ungues praesecet; a crucibus eam radere cruorem, clavos, quibus cruci erant affixi, extrahere, quoscunque possit, jugulare, et sanguinem calidum excipere, ex uteris vi extrahere foetum, ††) ut omnibus his ad sacra magica utatur. Credebat quippe vecors superstitio, magnam vim inesse membris humanis, rebusque e sepulchris aut patibulis petitis, ad movendos inferorum Deos, qui vehementer his delectentur, et per cognationem alliciantur. Ipsa rei vanitas fingere haec portenta, et excogitare hujusmodi scelera coegit superstitiosos. Temporibus priscis sanguine hostiarum praecipue nigrarum, adhibitis etiam herbis efficacibus elici manes, homines credebant, quibus cum parum inesse virium experientia deinde eos docuisset; nec dimoveri tamen sese ab incepto, aut persuaderi sibi totius negotii vanitatem, paterentur: ad alia eaque efficaciora sibi putarunt recurrendum; ut adeo ipse magicorum rituum progressus, totam artem satis superque redarguat.

Necyomantiae genus novum.

Novo etiam necyomantiae genere utitur maga Thessala; antiqui umbras diu defunctorum posse elici sibi persuadebant, hoc Thessala omnium pronuntiat difficillimum, facilius

*) Lucan. Pharf. VI, v. 460. **) Ib. v. 449.

***) Oracula Chaldaica v. 513. op. Stanlej. Hist. phil. T. III, p. 338.

†) Ap. Stanlej. l. c. p. 289.

††) Lucan. VI, v. 529. sqq.



cilius longe, si corpus modo exanimatum carminibus vitae reddatur. Igitur cadaveri recenti incantationibus animam restituit, responsum ab eo latura. *) Ita existimabant forte, quod animae modo defunctorum nondum descendissent ad inferos, faciliusque possent in corpora reduci, **) unde apparet, superstitionem in eliciendis diu jam defunctorum animis falli sese intelligentem, aggressam faciliora indeque meliorem sperasse successum.

Novum magorum numen.

Novum denique et hoc videtur, quod maga, non obedientibus statim manibus, minis ac vi agit; Paretis inquit, an ille compellandus erit, quo nunquam terra vocato, non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam.

> Verberibus suis trepidam castigat Erynnim
> Indespecta tenet vobis, qui Tartara? ***)

Hunc, cujus nomen non adjicitur, quique summum in inferos putabatur habere imperium, maxime apud magos haberi arcanum, est probabile; interpretes tamen Demogorgonem eum vocant, vocabulo serius invecto et e Gnosticorum ac Platonicorum postmodum Demiurgo, per corruptionem vocis, orto. †) Etsi itaque quale numen intellexerit Lucanus, non constat; novum tamen id et nuper ortum facile perspicitur, apud antiquiores enim nihil Hecate est in sacris magicis potentius. Eadem fere haud ita multo post canit Statius, praeter unum Lucano additum, quod considerari attentius postulat. Minatur nempe et ibi Tiresias, ni mox appareant umbrae vocatae, sese patefacturum

> Triplicis mundi summum, quem scire nefastum est. ††)

Mundos Plato nisi duos non novit; post Platonem mundorum numerus, Alexandrinorum abstractionibus, et aliorum somniis, crevit, ut tres, immo quatuor esse mundi a se invicem pendentes putarentur. Ternarium post Plotinum demum a Proclo in philosophiam esse invectum constat; haeretici tamen e religione Christianorum numeri hujus venerationem secum afferentes eum ad mundos videntur transtulisse maturius, id quod de Gnosticorum familiis mox dabimus probatum. Sed mirum, numerum hunc adeo mature ad gentilium pervenisse notitiam. Quae omnia si probabilitate non destitui videbuntur lectori, occultum hunc adeoque tremendum magorum Deum, alium esse ab Demiurgo, ut hoc etiam loco opinantur interpretes, Demogorgonem iterum in ejus substituentes locum, facile largietur. Is nempe Deus nullus est alius, quam primum illud principium, unde cuncta manarunt, omnium rerum auctor et conditor, id est lux infinita et immensa, omnia pervadens, sustentans, in se continens, formans et alens; a Demiurgo res jam emanatas in ordinem redigente et in mundorum disponente ordinem longe diversum.

Basilidianorum magia.

Trajano rem Romanam regente, a Basilide et Carpocrate, monstra opinionum sunt exclusa, eaque ab sectatoribus, Basilidianis et Carpocratianis, aut nomine universos complectente, Gnosticos sese vocantibus, late disseminata. Favebant et hi omnium rerum e Deo emanationi, idque eo intelligitur facilius, quod Basilides Alexandria erat oriundus, adeo-

*) Lucan. VI, v. 619. **) Ibid. v. 712. ***) Ibid. v. 745.

†) cf. Heyn. de Demogorgone seu Demiurgo editam nuper dissertationem egregiam.

††) Stat. Theb. IV, v. 516.

adeoque a teneris unguiculis huic, seu philosophiae, seu theologiae innutritus. Iidem magicas etiam superstitiones emanativae philosophiae adhaerentes, Aegyptiis autem fere insitas, in tutelam receperunt. A primo rerum omnium principio, quod nomine careat, cujusque nomen pronuntiare nefas sit, *) manasse logon, inde phronesin, hinc sapientiam ac vim, hinc virtutes principes et angelos, ab iis primum coelum esse factum, ab horum progenie secundum manasse coelum, usque ad numerum 365. Utuntur et imaginibus, incantationibus et invocationibus. Nomina quoque quaedam affingentes quasi angelorum, enuntiant, hos quidem esse in primo coelo, hos vero in secundo, et deinceps nituntur 365 ementitorum coelorum et nomina et principia et angelos et virtutes exponere. Quemadmodum et mundo nomen esse, in quo dicunt descendisse et ascendisse salvatorem, Caulaucau. Igitur qui haec didicerit et angelos omnes cognoverit, invisibilem et incomprehensibilem eum potestatibus universis fieri, quemadmodum et Caulaucau fuisse. Ter centum autem sexaginta quinque coelorum locales positiones distribuunt similiter ut mathematici, illorum enim theoremata accipiunt. Est autem princeps eorum *αβϱαξας* et propter hoc 365 numerum habet in se. **) Eadem narrat etiam Theodoretus, nisi quod nomen servatoris proprium et occultum dicit fuisse Chaldaicum, et aeonis, mundis omnibus praefecti, Abraxas. ***) Augustinus addit, carmina amatoria studiose a Basilidianis disci, et e Graecorum numerorum indole compertum, ut appareat nominis *αβϱαξας* litteras efficere 365. †)

Ab his non differunt Carpocratiani nisi in minoris momenti rebus, quoad summam disciplinae optime cum iis consentientes. Addit tamen quaedam Irenaeus, in Basilidianis obiter tantum tacta, ut adeo Carpocratiani superstitione illos videantur superasse. Artes magicas operantur et ipsi, inquit, et incantationes, philtra quoque et charitesia et paredros, oniropompos, et reliquas malignationes, dicentes se potestatem habere jam dominandi principibus et fabricatoribus hujus mundi. Non solum autem his, sed omnibus etiam quae in iis sint facta. ††) Theodoretus accuratius haec enarrans, hoc loco non est praetereundus: Dominum Jesum, inquit Carpocrates, virtute fuisse insignem, ut qui puram habebat animam, et memorem suae cum ingenito consuetudinis. Dicit autem etiam eos, qui illi similes fuerint, contemptis mundi effectoribus angelis, potestatem accipere ad facienda similia. Quodsi etiam puriorem quis habuerit animam, superabit, inquit, vel filii dignitatem. In tantam arrogantiae insaniam impegerunt hi homines, praestigiis utentes et daemonas invocantes. †††)

Carpocratianorum magia.

In plures Gnostici, temporum progressu, familias aut sectas sunt divisi, ut cuique ingenii erat aut audaciae satis ad augendam novis opinionum monstris magorum disciplinam. De his, ne saepius sit, legentium taedio, ad eadem redeundum somnia, et quo magis uno posita loco lucem sibi affundant, brevius disseram. Fuit in iis Marcus quidam arti magicae deditus, et cum praestigiis et incantationibus quaedam mirabilia faceret, multos simplices decepit. Admiscent (ejus sectatores) etiam nomina Hebraica, terrentes eos, qui initiantur. Ex his plurimae pullularunt haereses, eorum quoque partem

Gnosticorum aliorum opiniones.

*) Irenaeus adv. haeres. I, p. 6. **) Ibid. p. 2.

***) Theodor. haeret. fab. I, sect. de Basilide.

†) August. de haeres. n. IV.

††) Irenaeus II, c. 25.

†††) Theodor. l. c. adv. Carpocrat.

tem esse dicunt eos, qui a nonnullis Ascodrytae, ab aliquibus autem Ascodrupitae vocantur. *) Hi dicunt Sabaoth in septimo coelo tyrannidem exercere. **) Nomina aeonum seu geniorum aut Deorum mundis praefectorum alia suggerit Irenaeus, ut Ialdaboth, Eloei, Adonei, Orei, Astaphei, de quorum rebus gestis fuse Gnostici disserebant. ***) Inter Gnosticorum familias numeratur denique Ophitarum seu Ophianorum secta, ab Euphrate quodam condita. †) Haec vocabulis Hebraicis e sacris etiam litteris petitis, naturas illas potentes insigniebat, mundi partibus praefectas, et e summo Deo per emanationem gradatim profectas; haec magicis superstitionibus vehementer fuit addicta, precumque et invocationum formulas magno numero excogitavit. Operae est pluribus de his disserentem audire Origenem, ut semi Christianorum superstitiones magis appareant, et artis magicae progressus, veraeque formae luce aliqua perfundantur. Ophiani ut emanationum seriem magis illustrarent, oculisque ipsis praeberent conspiciendam, in tabula rem omnem delinearunt, quam Origenes vocat διαγραμμα ††) in quo erant circuli decem locis sejuncti, uni tamen circulo maximo inclusi, isque ambiens, anima universi, dicebatur Leviathan. Sub circulo infimo inveni Beemon positum. †††) Inveni in hoc diagrammate circulum majorem et minorem, in quorum diametro erat scriptum pater et filius, inter majorem autem, cui minor erat inclusus, alios circulos duos, exteriorem flavum, interiorem caeruleum, septo, securis specie, inter se copulatos. His circulis adscripta erant, alteri vocabulum dilectionis, alteri vitae, alteri providentiae, alteri sapientiae, et sic porro. *) Obscuriuscule haec traduntur ab Origene, ita quidem, ut integer vix videatur textus. Quocunque autem ordine hi circuli fuerint dispositi; id saltem apparet, esse eos Cabbalisticis Judaeorum circulis simillimos, rerumque omnium e Deo emanationi declarandae destinatos. Ne tamen in animum aliquis inducat, a Cabbalistis forte profectam hanc delineationem; verba Celsi, quibus id videtur negari, apponam. Quanquam, inquit, multos peragravi locos, quaesitis ubique, qui scire se aliquid profiterentur, non inveni tamen, qui huic disciplinae faveret. **) Atqui Cabbalistae in Palaestina aut Alexandria inventu non erant difficiles, adeoque non sine probabilitatis specie concludi hinc potest, Cabbalisticam philosophiam, quatenus circulis ejusmodi atque figuris utitur, tum temporis nondum exstitisse, immo hanc ejus partem e Christianorum deliramentis originem traxisse. Ceterum licet e Christianorum numero exclusos vehementer cupiat Ophianos Origenes; ***) a Theodoreto tamen †) aliisque inter Christianos collocantur, praeterea ex eorum opinionibus constat, multa eos hausisse e sacris litteris, quibus aliena tamen haud pauciora admiscuerunt.

Magicae Ophianorum preces.

Formulas precum, quibus utebantur Ophiani in eliciendis coelorum et astrorum praefectis, has recenset Origenes; superato vitiorum septo, ubi penetratum fuerit per portas principum aeoni adstrictorum, pronuntiari haec jubent: regem unius moris, vinculum caecitatis, oblivionem omni circumspectione carentem saluto, primam potestatem spiritu,

*) TTheodoret. haeret. fab. I, de Marco.

**) Ibid. de Ascodrytis.

***) Iraeneus adv. haeres. I, c. 34.

†) Orig. contr. Cels. VI, p. 294. ††) Ibid. p. 291.

†††) Ibid. p. 292. *) Ibid. p. 300.

) Ibid. p. 292. *) Ibid. p. 294.

†) Theodoret. haeret. fab. I, de Ophianis.

ſpiritu, providentia et ſapientia cuſtoditam, unde purus jam ablegor, pars jam lucis filii et patris, Gratia ſit mecum et pater ſit mecum. Hinc dicunt poteſtates ogdoadis pendere. Deinceps, praetergreſſo, quem vocant Ialdabaoth, dicere jubentur: tu confidenter prime et ſeptime ad imperandum Ialdabaoth, qui es princeps verbum mentis ſincerae, opus perfectum filio et patri, charactere typi vitae qui adfers ſymbolum, quam aeoni tuo clauſiſti portam, aperi mundo, tranſeo tuam portam, liber rurſus poteſtatem. Gratia ſit mecum, pater ſit mecum. Principi leonis formam gerenti conſenſum eſſe dicunt cum ſtella Saturni. Reliquas preces, ut quae ſenſum aut nullum aut arcanum habent, ſciens praetereo, nomina modo poteſtatum reliquarum adjiciens: inter quas ſunt Sabaoth, Aſtaphaeus, Aeloaeus et Horaeus, quibus enarratis Origenes ſubjungit: horum auctores nec in rebus magicis ſatis fuerunt verſati, nec litterarum ſacrarum ſatis gnari, omnia enim miſcuerunt. E magia Ialdabaoth, Aſtaphaeum et Horaeum e litteris Hebraicis Jaoia (Jehovam forte) Sabaoth, Adonaeum et Eloaeum petierunt. Deinceps alias Celſus fabulas exponit; principes ac poteſtates, alios leonum, alios taurorum, alios draconum aut aquilarum, urſorum aut canum gerere figuram. *)

Colligentibus haec omnia in ſummam, Ophianorum ſuperſtitiones magicas, ex Aegyptiorum et Chaldaeorum aſtrologia et magorum de daemonum figuris, inſomniis eſſe conflatas facile intelligitur; quibus inter ſe glutine emanationis copulatis, novum et portentoſum emerſit ſuperſtitionum corpus. Subit haec contemplanti admiratio animum, quam ſolers fuerit ac indefeſſum ingenium humanum in excogitandis, quibus ſe ipſum falleret et in errorum irremeabiles praecipitaret labyrinthos. Quae ingenii vis ſi eo fuiſſet verſa, unde ſperari exitus fauſtus poterat, et hauriri vera et accurata notitia, dici vix poteſt, quantopere litterae ac diſciplinae ſeveriores fuiſſent auctae. Sed opinionum humanarum contemplanti viciſſitudines et progreſſus, fatale generi humano apparet eſſe, ut omnes ante peragret errorum et ſomniorum vanitates, quam ſolidam attingat veritatem, id inde reportaturum tamen emolumenti, ut firmius deinde et conſtantius repertae adhaereat veritati. Multa hodieque Gnoſticorum ſuperſtitionis exſtant monumenta, Abraxas vocata, animalium verborumque monſtra gemmis inſculpta, de quibus poſt Macarii et Chiffletii eruditas de iis diſſertationes commemorare plura ſuperſedeo. **) Fons harum ſuperſtitionum.

Horum, eorumque ſimilium opera eſt effectum, ut magicae ſuperſtitiones magis magisque gliſcerent, ſiquidem deditus iis vehementer erat Hadrianus. ***) Artem medicam ingenti conatu invaſerunt magi hac tempeſtate. Pamphilus quidam de herbis ſcribens ad fabulas verſus eſt aniles, ſimulque praeſtigias Aegyptias, junctis incantationibus, quas, cum herbas colligunt, admurmurant, exponens etiam, ſi qua ex homine ferebatur transformatio, tum incantationes et libationes atque thymiamata, quae in colligendis iis adhibebant, nec non et alias hujusmodi praeſtigiaturas magicas. †) Vixit is Galeni aetate, ſub Hadriano forte. ††) Eo tandem audaciae progreſſi ſunt homines ſuperſtitioſi, ut adſper- Ingentes magia fecit progreſſus.

*) Orig. contr. Celſ. VI, p. 296, 297.

**) Joh. Macarii Abraxas ſeu Apiſtopiſtus Antw. 1657. addito Joh. Chiffletii Commentario in tabulas Abraxeas.

***) Xiphilin. in Hadriano p. 248. Lutet. 1551.

†) Galen. de ſimpl. medic. facult. VI, prooem.

††) Huic, et qui ejus ſimiles exſtiterunt, vehementiſſime reluctatur Galenus, riſui et contemtui eos ubique exponens, eorumque credulitatem, mentiendi audaciam et ignorantiam ob oculos ponens. Quo ipſo irruenti



adspergerent viris maxime a magia alienis ejus artis infamiam. M. Antoninum philosophum non dubitat Dio Cassius accusare, pluviam Arnuphis cujusdam magi Aegyptii artibus impetrasse, eam nempe, quam Christiani in suas pertrahentes partes, legionis fulminatricis precibus narrant partam. *) Alii Marcum factis carminibus et consecratione id scribunt egisse per Chaldaeos et magos, ut Marcomanni populo Romano semper devoti essent atque amici. **) Quorum quidem alterum refutat Xiphilinus, Marcum magorum consuetudine et praestigiis delectatum nuspiam legi, narrans †); alterum philosophus ipse, a Diogneto se didicisse affirmans, fidem non habere iis, quae de praestigiatoribus, incantationibus, daemonibus averruncandis, aliisque hujusmodi ferebantur. ††)

Libri magici corrumpi jubentur.

Eodem imperante Marco edictum provinciale in lucem est editum, quo libri quidam, quos improbatae lectionis appellant Jurisconsulti, jubebantur, si cui haereditate obtigissent, protinus corrumpi. Hos libros magicos et his fuisse similes, autumant. †††) Quam late serpserit magica superstitio, facile hinc apparet, quantusque librorum numerus ab hominum ei deditorum genere jam fuerit conscriptus.

Julianus Theurgus.

Inter magicorum librorum auctores eminet hac tempestate Julianus cognomine Theurgus, magnum inter magos nomen nactus, et in praecipuis semper ab iis, qui magos enumerant, commemoratus. *) Hunc narrat Anastasius pestilentiam Romae magicis artibus sanasse. **) Suidas et alii pluviam, quam alii Arnuphi tribuunt auctori, effecisse eum scribit. Habebat is, auctore eodem Suida, patrem Julianum Chaldaeum, qui de daemonibus scripserat et κυφι id est phylacterio, quo a singulis corporis partibus arcere morbos magicis cerimoniis queamus. Julianus filius scripsit theurgica, τελεςικα, λογια, δι' επων aliaque ad disciplinam hanc arcanam spectantia. ***) Illud κυφι interpretatur Fabricius esse idem, quod supra narravimus e Plutarcho Aegyptios e 6 speciebus composuisse: additque Julianum filium non esse auctorem oraculorum Zoroastris, sed commentatorem potius, cum illa sint Juliano antiquiora. †) Hinc itaque apparet theurgiam esse Porphyrio antiquiorem, cumque Zoroastris oracula, quae exstant hodie, e philosophia Platonica dubio procul trahant originem; ante Plotinum Eclecticos jam theurgiam exercuisse; Porphyrius tamen et maxime Jamblichus a multias eam superstitionibus crassis et philosophia subtiliore indignis purgarunt.

Intelli-

irruenti in artem medicam magiae obicem posuisse per aliquod temporis spatium, optimeque de genere humano meritus, jure existimatur. *) Alligatorum quidem vim non omnino negat, at incantationes et voces barbaras quicquam posse, persuaderi sibi non patitur. **)

*) Galen. de simpl. medic. facult. vi prooem. et alibi passim.

**) Ibid. X, cap. 22.

*) Dio Cass. XXVII, p. 805.

**) Lamprid. in Heliogab. c. 9. †) Dio l. c.

††) Antonin. de seipso I, s. 6.

†††) Dig. X, lit. 2. §. 4. cf. Rhodigin. lect. antiq. V, 42.

*) Arnobius adv. gent. I, p. 19.

**) Anastasius quaest. 23. in script. sacr.

***) Suidas in Juliano. †) Fabric. bibl. Graec. Vol. I, p. 251.

Intelligitur etiam e pluribus Luciani locis, quantum Graeci magis tribuerint peregrinis. Solent quippe homines peregrina et peregrinos magis mirari, majoraque ab iis quam a popularibus exſpectare, omne enim peregrinum habet aliquid obſcuri, in quo ad lubitum et ex animi ſententia fingendo exſultat phantaſia. Principio Babylonii ſeu Chaldaei ob artes magicas magnopere excellebant, hi ſanare morbos incantationibus et amuletis videbantur. Babylonius, inquit Lucianus, aegrum ſanitati reſtituit, incantatione venenum ejiciendo, et appenſo pedi ejus lapide a ſepulchro virginis ſumto. Idem in agro, recitatis e libro vetuſto ſeptem nominibus, purgatoque ſulphure et face loco, ter circumeundo eum, reptilia omnia e latibulis elicuit, ut omnia ſerpentum genera convenirent, uno tantum dracone ſene relicto. Quibus conſpectis, non adſunt omnes, inquit magus, ablegavitque ſerpentem natu minimum, qui eum arceſſeret. Congregatis omnibus, Babylonius afflavit eos, quo incenſi deflagrarunt omnes. *) Eadem fama de Hyperboreis etiam vigebat, qui per aerem volare, per aquam ambulare et pedetentim vadere per flumina credebantur. Iidem amores inſtillabant, daemonas evocabant, mortuos quin et Hecaten ipſam exciebant. Amabat quippe Glaucias Chryſidem, cujus ut amorem ſibi conciliaret, adiit Hyperboreum. Is expectato donec luna creſceret (tum enim temporis ſacra haec ſolent facere) ſcrobem effodit ſub dio, ſub mediam noctem patrem Glauciae ante ſeptem menſes vita functum evocavit, poſt Hecaten comitante Cerbero, denique lunam detraxit, initio feminae, dein vaccae formoſiſſimae, tandem catulae forma apparentem. Quibus factis e luto Cupidinis imagunculam finxit, eamque Chryſidem juſſit arceſſere, haec adfuit brevi, amplexaque Glauciam prae amore vehementiſſimo, brevi, audito galli cantu, luna ac Hecate unde venerant redeuntibus, eſt dimiſſa. **) Inter alia, quae his inſunt nova et ante a ſcriptoribus non tradita, mirum eſt, quod de galli cantu, ſpectra haec fugante, commemoratur. Eſt id ſuperſtitioni inter noſtram vigenti plebem ſimillimum, qua lucis ortum et galli cantum poſt mediam noctem pellere ſpectra autumant. In cauſa videtur eſſe, quod galli orto diluculo canunt, lucemque ferre ſpectra non putantur poſſe; luce enim certa terrores nocturni pelluntur, et licentia fingendi et ſemetipſum fallendi, animo circumſcribitur.

Magorum peregrinorum auctoritas.

Arabes praeterea magiae habebantur peritiſſimi, vi cujus annulos faciebant e clavibus crucium, et formulas incantationum multis nominibus refertas docebant, quibus daemonum et ſpectrorum metus demeretur. ***) Pythagorei quoque adhibitis libris Aegyptiis daemonas abigebant e domibus ab iis infeſtatis †); ſummi namque in hac arte habebantur Aegyptii, ut feras omnes domarent carmine, quin famulos etiam e peſſulis facerent, ut multa ſuavitate fingit Lucianus. ††) In ſanandis pedum doloribus ſuperſtitioſi jubebant, muſtelae dentem in leonis pelle alligare, quod pedibus optimis utitur leo; alii cervae malebant pellem, quod velox eſſet id animal, pedibusque valeret optime. †††) Intelligitur hinc, in amuletis ejusmodi ſecutos eſſe homines ſimilitudinem aut contrarietatem aliquam, animaliaque pedum pernicitate et robore pollentia pedum mederi infirmitati, ſuumque robur aegris inſtillare pedibus, credidiſſe. Quod quam ſit ſtolidum,

In iis Arabes etiam aliique excellebant.

*) Lucian. Philopſeud. p. 546. T. III.

**) Ibid. p. 548. Aliam amoris inſtillandi rationem Theocriteae ſimilem vid. Meliſſ. p. 394. T. IV. Aliud etiam necyomantiae genus Babylonicum, ubi ad inferos deſcendunt homines, vid. in Menippo p. 79. T. II.

***) Ibid. p. 571. †) Ibid. p. 571.

††) Ibid. p. 576. †††) Ibid. p. 541.

dum, a vera ratione remotum et barbariei primae, similitudines ejusmodi captanti, leges naturae ac ratiociniorum ignoranti, accommodatum, facile apparet.

Apulejus habetur magus.

Post Lucianum de magia multa in litteras sunt relata ab Apulejo, philosopho Platonico, in quibus tamen equidem nihil reperi, quod novam artis historiae affunderet lucem. Id modo sufficiat monuisse, Apulejum, magiae accusatum, egregie causam egisse. Fuit autem ab ea superstitione, ut Platonicus, haud alienus, licet magiam vulgarem risui in Asino aureo exponat. Hinc factum, ut aetas posterior inter magos eum referre non dubitaret, quin miracula etiam nonnulla, prioribus ignorata, affingere ei auderet. Documentum ejus rei afferam ex Anastasio, idque ob eam praeterea causam, ut intelligatur, quanta fuerit hominum ejus aevi credulitas, quanta insuper rerum gestarum ignorantia, quantaque inde mentiendi audacia. Narrat Anastasius, Apollonium et Apulejum, qui eodem tamen tempore non vixerunt, sub Domitiano diversas effecisse visiones. Cum morbo pestilentiali laboraret Roma, hos magos adhortatus est imperator Domitianus, ut pereunti civitati opem ferrent. Dicit autem Apulejus, ego pestilentialem perniciem, quae in tota parte civitatis est pervagata, intra 15 dies sanabo. Deinde Apollonius, ego quoque, quae in alia parte civitatis est grassata, intra 10 dies sanabo. *) Miracula tribui homini, quem auctores coaevi ea edidisse, prorsus ignorant, hinc patescit, adeoque exemplo luculento constat, credulitatem augere post obitum res gestas, maxime si id opinionibus praeconceptis inservit, modo exigua adsit probabilitatis species. Hinc de Apollonii, Pythagorae aliorumque quae feruntur miraculis, quid sit judicandum in promptu est. Solebant Aegyptii etiam exercere illud necyomantiae genus, quod supra in Lucano vidimus, **) erantque ob omnem magiam et superstitionem Hadriani jam tempestate famosissimi, ***) quam laudem a principio fere gentis semper sibi vindicarunt. Magiam porro ad eruendos etiam thesauros diu defossos, immo quod magis forte mirum, ut haeredes scriberentur in testamentis divitum, solebant impostores adhibere. †)

Didius Julianus artibus magicis deditus.

Didius Julianus, nullius fere pretii homo, magicis artibus fuit deditissimus, eaque amentia, ut per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri vel militum arma compesci. Nam quasdam non convenientes Romanis sacris hostias immolaverunt. Qualia sint haec sacra, in obscuro relinquit Spartianus, explicat tamen Dio Cassius, pueros eum haud paucos interfecisse ob artes magicas, ita ut, si forte, quod futurum erat, ante cognovisset, id posset avertere. ††) Carmina profana incantaverunt, pergit Spartianus (id est incantationes magicas, explicante Casaubono, a Romano Deos colendi ritu alienas) et ea quae ad speculum dicunt fieri, in quo pueri praeligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Julianus fecit. †††) Genus hoc esse κατοπτρομαντειας sive ενοπτρομαντειας recte Casaubonus affirmat; ceterum rationem rei gestae obscuram a Spartiano relictam, non satis explicat etiam ipse. Confirmat autem exemplo Julianus, quod usu saepe solet in vita hominum venire, qui imbecillitatem suam sentit maxime, ad auxilia

*) Anastas. quaest. XXIII. in script. sacr.

**) Apulej. Asin. II, p. 299.

***) Vopisc. in Saturnin. c. 7, 9.

†) Lucian. Alexand. p. 512. T. I.

††) Dio Cassius LXXIV, p. 838. Xiphil. ex Dione in Juliano p. 292. Lutet. 1551.

†††) Spartian. in Did. Julian. c. 7.

auxilia divina et superstitiosa, neglectis quae in potestate hominum sunt, maxime confugere.

Medicos etiam invasit magis vanitas magica, Serenus namque Sammonicus, summae apud Severum imperatorem auctoritatis, amuletis et verbis haud exiguam inesse vim sibi persuadet, quamquam non sine indignatione haec videtur ridere, adeo parum sibi plerumque homines solent constare! Febrem quotidianam putat sanari, ossa in septis domorum inventa si collo suspendantur. *) His adjicit, febrem depelli carmine posse, vana credit superstitio, et matrum imbecillitas; quae cum dixisset, quasi plane eorum oblitus, ad febrem hemitritaeam depellendam commendat celebre illud Abracadabra chartae inscribendum ita, ut ultima semper littera detracta in formam triangularem desinat tota vox, idque jubet collo alligare. **)

Sereni Sammonici credulitas.

Haud minor fuit in Antonino Caracallo credulitatis vis, siquidem anxius de exitu vitae conquirere undique magos optimos jussit Maternianum, uti praeterea necyomantia, ut, quem sibi fata destinassent vitae exitum, resciseeret. ***) Animas patris et Commodi, multorum insuper aliorum, evocavit, ut a patris et fratris, gladiis eum persequentibus spectris liberaretur. †) Apollonium praeterea Tyaneum magnopere dicitur veneratus, ut sacellum etiam ei tamquam heroi exstrueret. ††) Nihilo tamen secius idem damnavit omnes, qui remedia quartanis tertianisque collo annexa gestarent, †††) quasi ab omni superstitione maxime esset animus liberatus.

Antoninus Caracalla magiae studet.

De Antonino Heliogabalo Lampridius narrat, humanas eum hostias immolasse, lectis ad hoc pueris nobilibus et decoris per omnem Italiam. Omne denique magorum genus aderat ei, operabaturque quotidie, hortante illo et Diis gratias agente, quod amicos eorum invenisset, quin inspiceret exta puerilia, et excuteret hostias ad ritum gentilem suum. *) Valerianum doctor quidam et princeps magorum Aegypti impulit, ut impuras caerimonias obiret, profanas exerceret praestigias, exsecranda mysteria exsequeretur, mactaret pueros misellos, prolem infelicium parentum exsacrificaret, tenera infantium dissecaret viscera. **)

Heliogabalus magos in rebus gerendis adhibet.

Sanctitatem vitae, qui hac tempestate operam dabant magiae philosophicae, affectabant majorem, praeeunte inprimis Apollonio Tyaneo, quem deinde gregatim ceteri sunt secuti; magi, inquit Clemens Alexandrinus, qui angelos colunt ac daemonas, a vino, animalibus et venere abstinent. ***) Praeter admirationem vulgi hac ratione quaesitam, subest alia etiam eaque occultior hujus rei causa, quam, ubi de Platonicis junioribus mox dicemus, pluribus attingemus. Magia autem vulgaris adeo jam desierat esse occulta, ut ea praesertim, quae pertinent ad evocandos manes, et necyomantiam Tertullianus

Publice tantum non exercebatur magia.

*) Seren. Sammon. de medicina edit. Keuchem. Amstelod. 1662. p. 31.

) Ibid. l. c. *) Herodian. IV, 12.

†) Dio Cass. LXXVII, p. 877.

††) Xiphil. in Caracall. p. 335.

†††) Spartian. in Caracall. cap. 5.

*) Lamprid. in Heliogab. cap. 8.

**) Eusebius hist. eccles. VII, c. 9.

***) Clemens Alex. Strom. III, p. 446.

lianus publicam vocet litteraturam. Publica jam, inquit, litteratura est, quae animas etiam justa aetate sopitas, etiam proba morte disjunctas, etiam prompta humatione dispunctas, evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur. *)

Christiani saniores, licet magiae infensi, tamen non esse eam prorsus inanem affirmant.

Superstitionibus hisce obviam ire Christiani scriptores omni virium contentione nitebantur, non negando esse artem magicam, sed vehementer ideo improbando et damnando, quod impia sit tota, utpote daemonum malorum seu diaboli fallaciis et fraudibus, quibus allicere ad se et perdere studeat homines miseros, subnixam totam. **) Origenes in eadem est sententia, quam apertius tamen profert: gratum non esse Deo, inquit, qui relicto ejus cultu daemonas sequitur; ne satis quidem constare, a daemonibus sanari morbos; esse daemonas hosce pauem fidos, saepeque majoribus ab alio donis pellectos, nocere cultori primo. ***) Multa igitur daemonas posse haud inficiatur, immo aperte alibi haud exiguam iis vim tribuit, multaque vocabulorum certorum ope mira putat effici, ut adeo errent, qui incantationibus et verbis magicis omnem denegant efficaciam. Si, inquit, valuero demonstrare nomina efficacia, quibus utuntur Aegyptiorum sapientes, Persarum magi, Indorum Brachmanes, Samanaei, aliaeque praeterea gentes, quam habeant naturam; magiam non esse rem absurdam, sed fundamentis idoneis, cognitis tamen oppido paucis, ut placet iis, qui artis sint periti, efficiam. Voces enim Sabaoth, Adonai, aliaque ab Hebraeis in magna veneratione habita nomina, non casu, sed propter theologiam aliquam arcanam, rerum conditori sunt imposita, eamque ob causam ordine quodam pronuntiata, magnam vim sunt sortita. Alia quoque Aegyptiorum lingua prolata daemonum nomina suam habent potestatem, alia in lingua Persarum, et sic porro. Ut terrestres daemones suam singuli habent provinciam et loca, quibus praeficiuntur, ita nomina sunt iis in singulis linguis imposita, quibus natura eorum et munera significantur. †) Qui potuerit perspicere, quae de nominibus traduntur arcana, multa etiam de angelorum inveniet vocabulis, quorum alius Michael, alius Gabriel, ut cujusque fert munus, vocatur. Dicunt denique incantationum periti, eandem formulam lingua sua pronuntiatam esse efficacem, in alium translatam sermonem, nihil posse. ††) In eadem sententia est etiam Augustinus. †††) Quam intelligat Tertullianus publicam necyomantiae litteraturam, Origenes explicat pluribus: multa se edere mira posse praestigiatores, quique ab Aegyptiis sunt docti, profitentur. Hi in mediis foris paucorum obolorum pretio daemonas ex hominibus ejiciunt, morbos afflando sanant, animas heroum evocant, coenas sumptuosas, mensis, edulia delicata, aliaque, quae nulla sunt, ostendunt, animalia insuper sese moventia, quae revera non sunt animalia. *)

*) Tertullian. de Anima c. 53.

**) Ibid. de Idololatr. p. 620. Apologeticus cap. 23.

***) Origen. contr. Celsum VIII, p. 418.

†) Ibid. I, p. 19. ††) Ibid. p. 20.

†††) August. de doct. Christ. II, 20. sqq.

*) Orig. contr. Cels. I, p. 53.

Cap. XI.

DE INDOLE MAGIAE AD CONSTANTINVM M. VSQVE.

Tertii post Christum natum seculi initio Plotinus, ingens illud Platonicorum juniorum culmen, floruit, cujus et sequacium studio dici vox potest, quantum profecerit alterum illud magiae genus philosophicum. Hi rem a philosophis Alexandriae coeptam, Apollonii aliorumque, quorum nomina delevit temporis injuria, studiis promotam, in disciplinae tandem formam redegerunt, adjuvantibus ipsis etiam Christianis. Adeo hac tempestate exarserant hominum animi in magiae studium, ut fraudibus fieret etiam locus in suppositiis antiquorum, ignotorum saepe alias, libris conscribendis, quos avide adeo arripiebant homines, ut eo ipso impostorum vehementer augerent industriam. Id Platonici etiam ipsi, haud immunes ab eo fraudis genere, queruntur. Fuerunt Plotini aetate, inquit Porphyrius, Christiani multi, haereticique ex antiqua profecti philosophia, Adelphii, Aquilinique sectatores, qui Alexandri Libyci, Philocomi, Demostrati et Lydi libros plurimos habebant, quique revelationes Zoroastris, Zostriani, Nicothei, Allogenis, Mesi, aliorumque circumferebant, multos, decepti ipsi, in fraudem inducentes. Hos aggressi sunt Plotinus et Amelius. *) Alii sub idem tempus Salomoni libros magicos audebant tribuere, quo in genere exercebant se Judaei, qui scriptis a Salomone adjurationibus daemonas solebant adjurare. **) Judaeos enim intelligere Origenem, apparet vel inde, quod Judaicum esse dicit, objicere Christo, eum daemonum ope daemonas ejecisse; accedit, quod inter gentes et Christianos eo nomine Salomon non celebratur. Paucae hujus seculi reliquiae exstant adhuc, Zoroastris v. g. oracula Chaldaica, Salomonis Schemhamphorasch seu Clavicula.

Secta Eclecticorum magiae studium promovet.

Ab artibus magicis Plotinus adeo non fuit alienus, ut vehementer potius earum peritiam affectaret. Qui vitam ejus scripsit, familiaris idem ac discipulus, Porphyrius nonnulla de eo tradit, vires humanas superantia, cujusmodi est: tanta fuit in cognoscendis hominum moribus solertia, ut quae maxime occultabantur, deprehenderet, immo qualis quisque esset futurus, praediceret. Mulieri enim cum monile pretiosum furto esset ablatum, familiaque omnis in conspectum Plotini esset adducta, intuitus singulos, hic est, inquit, fur, idemque mox est confessus. Polemoni qualis esset futurus, diuque non victurum, praedixit. Idem me agitare de morte mihi consciscenda praesagiit, esseque id consilium mentis parum sanae exprobrans, iter ut susciperem suasit. ***) Quod majus est, genium suum norat accurate, cum eoque versabatur familiariter. Sacerdos quippe Aegyptius cum Romam venisset, velletque Plotino sapientiae suae specimen edere, ut secum abiret, genium suum visurus, eum rogavit. Facta in Isidis aede invocatio, hunc enim unum locum purum sese Romae invenire ajebat sacerdos, et apparuit vocatus, non daemon, sed daemone major. Hinc adeo crevere viri spiritus tandem, ut Amelio ad sacra eum invitanti, daemonas ad me, non me oportet accedere ad daemonas, responderet. †) Unde apparet, imperium aliquod aut auctoritatem sibi tribuisse in daemonas Plotinum, quamquam modeste admodum adjiciat Porphyrius, ipsos nec intellexisse, nec quaerere e magistro ausos, quid sibi vellet orationis haec magnificentia.

Plotinus magiam exercet.

Daemo-

*) Porphyr. vit. Plotin. c. 16. ap. Fabric. Bibl. Gr. libr. IV, p. 118. part. I.

**) Origenes in Matthaeum tract. XXXV, p. 188.

***) Porphyr. vit. Plot. c. 11. †) Ibid. c. 10.

Morbos inimicis immittit Plotinus.

Daemonum aut deorum forte ipsorum auxilio, morbos etiam immisit Plotinus inimicis. Inter eum enim et Olympium orto certamine de primo inter philosophos loco, Olympius artibus eum magicis petiit. At retorsit in eum machinationes Plotinus, discipulisque, impetum hostium sentiens, inquit, nunc Olympii corpus marsupii instar contrahitur: id quod haud sine dolore expertus Olympius frequenter, a maleficio destitit, robustissimam esse Plotini animam fassus, quae conatus omnes repercuteret in auctorem. *) Porphyrii in his omnibus modestiam non possum non mirari, adeo parce et invide magistri praedicantem miracula, nec plura aut majora afferentem, cum materiam tamen, unde plura fingerentur, haberet paratam. Sed terrebant eum Apollonii, Alexandri, aliorumque exempla, in quibus mentiendi libido et fraudis quaelibet audendi impudentia, adeo modum erant egressae ut prudentioribus risui essent et contemptui, a quibus tamen secta, nunc demum in publicum prodiens, cuique laeta satis Plotini fama affulgebat spes, summo studio erat defendenda. Temporibus secutis, stabilita jam Alexandrinorum secta, audaciores etiam hos videbimus factos.

Deum ipsum vidit Plotinus.

Quod autem caput est, omnique hac cum geniis familiaritate majus, ad summi ipsius Dei conspectum admissus est Plotinus. Saepe, inquit Porphyrius, ad Deum primum, mente superiorem est evectus, perque omnes a Platone in convivio traditos gradus ascendit, ut appareret illi, qui nec formam nec ideam habet. Finis enim ei erat bonorum, propius accedere ad Deum summum, idque quater est assecutus. **) Amplius est hoc, quam quod gloriabatur Apollonius, qui ipsius Dei summi gavisus adspectu non legitur. Ac hoc quidem magiae totius ad hunc usque diem finis est, et summum, quod promittere aut sperare unquam ars est ausa, cujus gradus, per quos huc tandem pervenit, operae est cognoscere accuratius. Principio cum plures esse, seu deos, seu daemonas sibi persuaderet hominum barbaries, nihil ars magica optavit magis, quam unum aliquem, ad summum plures habere familiares ac socios: dein, intellecto deorum ac daemonum ordine, eos maxime nitebatur conciliare hominibus, qui plus possent; tandem ratione, ac philosophia eo usque politis, ut unum esse omnium regem et conditorem extra dubitationom esset positum, spretis, aut minoris aestimatis, geniis inferioribus, cum hoc inire familiaritatem, eum habere in omnibus adjutorem, exoptavit, et qua id fieret ratione docturam se promisit. Similis itaque ceteris artibus et litteris humanis, per omnia est magia; indeque non potest non ingens oriri dubium, an e fontibus homine praestantioribus, ut ferunt artis periti, sit hausta? Quae de Plotino narrat Porphyrius, non sunt a mente magistri aliena; is enim ingeniosam novamque, ni fallor, tuendi magicarum artium veritatem, adfert rationem ingenio ejus haud indignam, quamque post eum omnes sunt amplexi, ut unicam ad persuadendum maxime aptam, nec manifestae absurditatis ream. Quaecunque vulgus magorum profitebatur, facile his armis defenduntur. ***) Ac hactenus vulgo magorum accedit Plotinus. Praeter hoc tamen aliud inculcat sublimius magiae genus, vocabulo proprio ab eo non insignitum, cui theosophiae nomen recentiores indidere. Ipso namque Deo conjungi mentes nostras, ejusque frui contemplatione docet, idque fieri sensibus, ratiocinio, aliisque mentis actionibus cohibitis, ac sopitis, simplici quodam intuitu, mira nos voluptate perfundente. †) Novum hoc etiam in

*) Porphyr. vit. Plot. c. 10. **) Ibid. c. 23.

***) Plotin. Enn. IV, lib. IV, c. 40 sqq.

†) Ibid. VI, lib. IX, c. 8. sqq.


in philosophia, Gnosticis tamen, ni fallor, haud ignotum, et ex Aegypto et Oriente profectum, licet de Gnosticis id verbis disertis nemo tradat. An autem praeter beatitudinem summam, rerum etiam abstrusissimarum cognitionem, et patrandi mira, quae humanas superant vires, potestatem, ex familiari hac cum Deo consuetudine reportemus; an in daemonum, angelorum aliorumque spirituum admittamur amicitiam, non definitur quidem a Plotino; tacite tamen, me quidem judice, conceditur. Unde enim Plotinus, incantamentis non utens, ingentem hauserat animi vigorem, aliorum depellendi incantationes? unde dignitatem, sive malueris majestatem, quam daemones ipse reverebantur? unde divinandi, nullis adhibitis vatum reliquorum caerimoniis, facultatem?

Traditam a Plotino disciplinam summo studio, nec minori ingenii subtilitate perpolierunt discipuli, ita ut notiones accurate distinctas suis etiam insignirent vocabulis, et sparsa passim doctrinae rudimenta, corrasis undique, quae in rem erant, in disciplinae redigerent formam. In omni enim doctrina difficillimum est, confusas initio notiones accurate distinctas, vocabulis etiam propriis a se invicem separare, quo semel facto sequuntur cetera, et novae ex elementis antea disjectis surgunt disciplinae. Rem coeptam sectatores Plotini continuarunt.

Quam saepius vocavi magiam vulgarem, toto coelo differre ab ea, quam genuit Alexandria, professus deinde est Apollonius Tyaneus, docuit Plotinus, animadvertens Porphyrius Plotini discipulus, suum cuique imposuit nomen, illam vocando magiam, hanc theurgiam. Ante Porphyrium certe nemo hujus vocis, quod equidem sciam, meminit. De Porphyrii theurgia haec narrat Augustinus: haec omnia fiebant ad commendandum unius veri Dei cultum. Fiebant autem simplici fide atque fiducia pietatis, non incantationibus et carminibus nefariae curiositatis arte compositis, quam vel magiam, vel detestabiliori nomine goëtiam, vel honorabiliori theurgiam vocant, qui quasi conantur ista discernere, et illicitis artibus deditos, alios damnabiles, quos et maleficos vulgus appellat (hos enim ad goëtiam pertinere dicunt) alios autem laudabiles videri volunt, quibus theurgiam deputant, cum sint utrique ritibus fallacibus daemonum obstricti sub nominibus angelorum. Nam et Porphyrius quandam quasi purgationem animae per theurgiam, cunctanter tamen et pudibunda quodammodo promittit disputatione, reversionem vero ad Deum hanc artem cuiquam praestare negat. *) Porro: nescio quomodo, quantum mihi videtur, pro amicis suis theurgis erubescebat Porphyrius. Nam ista utcunque sapiebat, sed contra Deorum multorum cultum, Deum verum non libere defendebat. Et angelos quippe alios dixit esse, qui deorsum descendentes hominibus theurgicis divina praenuntient, alios autem, qui in terris ea, quae patris sunt, atque altitudinem ejus et profunditatem declarent. **) Theurgia namque animum purgari ita, ut angelorum imagines vel Deorum videret. ***) Lucem haec ex Porphyrio ipso accipiunt majorem. Duo is daemonum ponit genera, bonorum alterum, alterum malorum. Quae enim animae ex anima universi ita emanarunt, ut magnas universi partes sub luna regant, ratione que, spiritui, pro basi iis substrato, imperitent, boni sunt daemones, omniaque ad salutem nostram, rerumque quibus praesunt, dirigunt; serenitatem coeli, aeris temperiem optimam et salubritatem efficiunt, nosque in addiscendis artibus et litteris adjuvant. Horum in genere etiam sunt nuntii, illis qui preces nostras et vota Diis, deorum jussa et monitus nobis, una cum vaticiniis, afferunt. Quaecunque contra animae spiritum cum

Hi magiam distinxerunt a theurgia.

*) Augustin. de civit. Dei X, 9. **) Ibid. cap. 26. ***) Ibid. cap. 10.



cum iis conjunctum non regunt, sed ab eo reguntur, ob id ipsum ab ira et lubidine hujus spiritus incitantur et abripiuntur, daemonesque mali jure dicuntur. Hi certam et perpetuam nullam habent formam, in varias vertuntur figuras, — calamitatum omnium, pestilentiae, sterilitatis, terrae motus sunt auctores; hi bonos saepius se simulant, ut ad se colendos nos pelliciant; hi pravis nostris cupiditatibus, avaritiae, luxuriae, ambitioni blandiuntur. Boni daemones laedunt neminem, sed imminentia a malis pericula significant, in somniis, aut in animos illapsu; mali contra praestigiarum, philtrorum, et quae sunt alia ejus generis, sunt auctores. *)

Theosophiam primus dixit Porphyrius.

Magiae genera duo facit hoc loco Porphyrius, quorum alterum bonorum, alterum malorum utitur daemonum auxilio. Post Empedoclem itaque inter philosophos primus geniorum hoc discrimen adhibet, aut si qui alii adhibuerunt, memoriae id non proditum; primus certe, ni fallor, in constituendis magiae generibus duobus, eo utitur, quorum illud vocatur theurgia, geniorum bonorum, hoc γοητια, malorum ministerio et cultui subnixum. Ab his tertium videtur genus distinguere, quod animas hominum ad Deum ipsum evehit, summoque jungit numini, siquidem theurgiam id praestare, Augustino teste negat. Posse enim animam uniri Deo, maxime erat Porphyrio persuasum, ut qui semel anno aetatis 68. Dei aspectu sese affirmet esse gavisum, **) quique in libris de abstinentia ab esu animalium, Deo, inquit, similes nos oportet fieri, nullumque aliud ei sacrificium offerendum praeter mentem puram, ab omni actu, ratiocinio, cogitationibus etiam intimis vacantem, si admitti ad eum contemplandum voluerimus, ***) puritati castitatique summae studentes ad Deum accedemus. †) Ultimum hoc magiae genus, seu potius quam inde reportamus felicitatem, rerumque maximarum cognitionem, θεοσοφιαν Porphyrius ††) omnium, ni fallor, primus appellat. Unde simul constat, animam Deo unitam, ad Deique admissam contemplationem, veris rerum maximarum impleri notionibus. Sunt ergo Alexandrini, seu Eclectici primi theosophiae, tum quoad rem, tum quoad nomen auctores habendi, donec alia proferantur documenta, quibus antiquior ei disciplinae adstruatur origo.

Ad Dei ipsius nos admitti contemplationem non censet Plato.

Ac hoc demum est illud, quod Platoni tribuere auctori, qui post Porphyrium ei disciplinae faverunt, maxime Proclus, nituntur. Habet autem sese res ita: insunt animis hominum ideae, id est, rerum abstractarum, generum et specierum notiones, immotae, a corporis concretione liberae, generationis et corruptionis expertes, sempiternae adeo ac divinae. Sunt eaedem ideae etiam in Deo, ejusque intellectu, et rerum cunctarum, quae pereunt et gignuntur, formae, a Deo ipso materiae impressae, ex ejusque sinu in materiam translatae. Inest porro animae nostrae divinae particula aurae, mens nempe, qua maxime vel unice potius homines sumus. Quotiescunque ergo utimur mente pura, et in contemplandis rerum naturis versamur, divina contemplamur; quotiescunque mentem nostram intuemur, sevocando eam ab sensibus et phantasia, Dei partem intuemur. Hoc Plato audacius paulo et more suo, poetica utens dictione, ad Deum vocat adscendere, Deum contemplari, negans nos ad Deum ipsum admitti videndum, cum ideas nos hausisse ex ipso intelligibili mundo, priusquam huic immergeremur corpori, disertis doceat

*) Porphyr. de Abstinent. II, p. 192. sqq.

**) Porphyr. vit. Plotin. c. 23.

***) Ibid. de Abstin. II, p. 185.

†) Ibid. p. 210. ††) Ibid. p. 210.

ceat verbis. Alexandrini contra, mutatis nonnihil his, ita ſubducebant rationes: Deus pervadit animas noſtras, ideae e Deo omnes emanant, indeque animis hominum infunduntur, his ergo contemplandis dediti, et ſopitis inferioribus cunctis animae facultatibus, Deum ipſum adſpicimus, ad Dei evehimur familiaritatem. Quae quanquam principio diſtent a philoſophia Platonis exiguo tantum intervallo; quanquam doctrina Platonis, ſi accurate expendatur, ducat eodem: in fine tamen longe a ſe invicem ſunt remota, et Platonem inter et Alexandrinos magnum eſſe diſcrimen, non poteſt negari. Sed de rationibus, quibus nititur theoſophica Alexandrinorum diſciplina, infra pluribus agendum.

Litterae Epheſiae.

Sub haec fere tempora, regnante Antonino philoſopho, Epheſiae innotuerunt litterae, amuletorum inſtar ab hominibus geri ſolitae, quarum primus, ni fallor, ex Anaxila, poeta comico, cujus aetas non conſtat, mentionem facit Athenaeus. *) Jubebant praeterea magi a daemonibus infeſtatos, has tacite percenſere et nominare **); erantque, ut in univerſum dicamus, incantationes, quibus etiam Croeſus ſecundum aliquos in rogo jam conſtitutus vehementer eſt adjutus. Narrant etiam, cum Olympiae Mileſius et Epheſius luctarentur, nequiſſe Mileſium luctari, quod alter talo haberet litteras Epheſias alligatas, quibus agnitis et ſolutis trigeſies deinceps cecidiſſe Epheſium. In lexico rhetorico Pauſanias, eſſe eas verba, refert, phyſicum habentia ſenſum, malis averruncandis idoneum. ***) Idem Clemens etiam Alexandrinus et Heſychius tradunt, quorum primus ex Androcyde Pythagoreo haec affert: ασκιον, tenebras, κατασκιον, lucem, λιξ terram, τετρας, annum, δαμναμενευς ſolem, αισια veram vocem ſignificans. †) Nonnihil ab hoc diverſus eſt Heſychius, loco λιξ ſubſtituens αιξ, quod ſignificet ipſe, et αισιον interpretans per verum. Haec vocabula ſymbolorum inſtar eſſe, Androcydes, ſancta modo haberi et ſacra, contendit Heſychius. Intelligitur hinc ſatis, verum earum ſenſum, finemque cui eſſent deſtinatae, ignota tum temporis fuiſſe, ut conjecturis hisce dilucidanda eſſent. Antiquitatem earum uno ore omnes fatentur. Heſychius, eſſe perantiquas, ſed ab impoſtoribus deinde auctas; ††) Clemens a prima inde Graecorum barbarie Dactylisque Idaeis eas derivat; †††) modeſtius paulo Pauſanias, ad Croeſi aetatem eas aſcendere, apud Euſtathium refert; ſimulque addit, obſcure et aenigmatice eas fuiſſe Dianae pedibus, cingulo, et coronae inſcriptas. Quod ſi ita ſe habet, reliquiae forte primi Graecorum ſermonis fuere, vocabula enim, modo recte a ſcriptoribus ſunt intellecta, et perſcripta, graecae ſunt dubio procul originis. Nec abludit a vero, litteris antiquis talia ſtatuae fuiſſe inſcripta: quae incantationum tamen et amuletorum vim dubio procul antiquitus non habuerunt, ut quae a ſcriptoribus antiquioribus plane ignorantur. Temporibus poſt Chriſtum natum, haec demum ſuperſtitio videtur invaluiſſe, omnia enim templa, adyta, loca celebriora aut antiquitate aut miraculis perreptantibus magis, ut novi quid et miri exquirerent, in has inciderunt voces, quibus efficaciam mirificam tribuere nulli dubitarunt. *)

 Cum

*) Athen. Deipnoſ. XII, p. 171. Baſil. 1535.

**) Plutarch. Sympoſiac. VII, p. 5.

***) Euſtath. ad Hom. Odyſſ. T, p. 1864.

†) Clem. Alex. Strom. V, p. 568.

††) Heſych. lexicon voc. Epheſiae litterae.

†††) Clem. Al. Strom. I, p. 306.

*) Conf. Schurzfleiſch. diſſ. de litt. Epheſ., qui multa movendo parum tamen in re tam obſcura promovet.

Imperator Aurelianus sacris magicis contra hostes dimicat.

Cum a virtute pristina in dies magis desciscerent Romani, hostibus obviam ire artibus magicis magis magisque coeperunt, et arcere superstitione, quos vincere armis sese posse desperabant. Imperator itaque Aurelianus imparem sese sentiens Marcomannis, librorum Sibyllinorum suasu fieri certis locis sacrificia jussit, quae transire barbari non possent. Facta denique sunt ea, quae praecepta fuerant in diverso caerimoniarum genere, atque ita barbari restiterunt. *) Has caerimonias adeo fuisse efficaces, scribit deinde Vopiscus, ut nisi divina ope post inspectionem librorum Sibyllinorum, sacrificiorumque curas, monstris quibusdam, speciebusque divinis impliciti essent barbari, Romana victoria non fuisset. **) Nec mirum, barbari enim a superstitione non immunes, ubi magicis sese sacris peti resciverunt, timore animos occupante, monstris, quae nulla erant, agitari sese sibi persuaserunt.

Maxentius ejusdem superstitionis reus.

Maxentius Constantini in imperio aemulus ad magiae delabebatur praestigias, quippe interdum gravidas mulieres dissecuit, nonnunquam tenerorum infantum viscera perscrutatus est, aliquando mactavit leones, saepe infandas adjurationes ad daemonas excitandos, quo illorum subsidio belli impetum abs se averteret, usurpavit. Nam horum adjumento speravit, se facile victoria potiturum. ***) Quam sint vana magorum promissa, ex his similibusque exemplis apparet. Si verum esset, quod jactant, fatorum ordinem posse se mutare, tueri profecto tantum patronum, magicae arti praesidio et ornamento futurum, si imperium esset adeptus, ac defendere a Constantini impetu non neglexissent.

Cap. XII.

MAGIAE ROMANORVM POST CONSTANTINVM M. FACIES.

Legibus novis coercetur magia.

Imperator Constantinus, desertis gentilium superstitionibus, cum a doctoribus Christianis, magiae infensis, exstirpandam eam didicisset, huic fini legem promulgavit, qua eorum statuit puniendam scientiam, severissimis legibus vindicandos, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse detegantur. Idem nihilominus, animo a superstitione haud prorsus purgato, ipsis etiam Christianis magiae magnam tribuentibus efficaciam, non statuit puniendos, qui remedia adhiberent, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandinisque lapidatione quaterentur, quibus non cujusquam salus aut existimatio laederetur, sed quorum proficerent actus, ne divina munera et labores hominum sternerentur. †) Cohibendam ergo a laedendis tantum hominibus, damnisque inferendis, magiam censuit; si quid ei inesset salutare, id relinquendum. Eandem legem, negligi procul dubio priorem animadvertens, repetiit Constans, adjecta capitis poena, si quis contra fecisset, ††) saepiusque deinde inculcavit. †††) Eodem quoque imperante Constantio, si quis remedia quartanae vel doloris alterius collo gestaret, ut veneficus, pronuntiatus reus capitis, interibat. *) Nec defuere etiam sibi Christiani, qui stabilitis sub Constantino rebus suis, conciliis habitis, religionis etiam auctoritate fulcire imperatorum leges, omni virium conatu studebant. Concilium enim Illiberitanum communionem vetuit exhibendam, qui maleficio

*) Vopisc. in Aurelian. c. 18. **) Ibid. c. 21.

***) Euseb. vit. Constantin. I, c. 30.

†) Codex IX, tit. 18. lex 4. ††) Ibid lex 5.

†††) Ibid. 6, 7. *) Ammian. Marcellin. XIX, p. 152.

leficio alterum interfeciſſet, eo quod ſine idololatria perfici ſcelus non potuiſſet. *) His tamen omnibus parum eſt profectum; nimis altas ſuperſtitio egerat radices, quam ut legibus et auctoritate eccleſiae potuerit exſtirpari. Adeo verum eſt, parum valere leges et poenas, niſi adhibeantur ſimul, quae animis et moribus hominum purgandis ſunt idonea. Nec minus tamen propterea reges et magiſtratus ſatis putant ſeſe feciſſe, ſi juſſerint aut interdixerint, quaſi verbis eorum divina ineſſet vis, animos hominum etiam inclinandi ad amplectendum, quod jubetur.

Julianus apoſtata magiae fautor.

Juliano gubernaculis rei Romanae admoto, caput extollere iterum ſuperſtitio, in obſcuro hucusque degens, coepit, ipſo praeeunte imperatore, nugis Platonicis et theurgicis, praeſtigiis, ac mendaciis capto. Fuit is adeo ad fidem ſplendidis adhibendam mendaciis pronus, ut templorum perreperet adyta, ſpectaculoque daemonum aut Deorum evocatorum, non ſine magno terrore et horrore intereſſet. **) Quae quam ſint inania, ipſe deinde fuit documento a Perſis interemtus, nec eam modo inde reportans utilitatem, ut imminens ſibi fatum vitaret. Caeſo Juliano, fraudulentae praeſtigiarum machinae manifeſto ſunt deprehenſae. Cum enim per Caras urbem iter faceret, ingreſſus delubrum, quod apud impios in maxime honore erat, jubet portas, poſtquam nefanda quaedam myſteria cum ſceleris ſociis obiiſſet, non obſerari ſolum, veram etiam obſignari, et milites eas aſſidue obſervare, ne quisquam, donec reverteretur, intraret. At poſtquam nuntiatum eſt, eum eſſe mortuum, quidam in illud delubrum ingredientes, admirabilem hujus imperatoris fortitudinem, ſapientiam, addo etiam pietatem, manifeſto deprehendunt. Nam vident mulierculam capillo ſuſpenſam, manibus extenſis, cujus ventre diſſecto, ſceleratus iſte forſitan ex ejus jecore divinavit, ſe victoriam a Perſis reportaturum. Porro Antiochiae dicitur multas capſas in palatio, refertas hominum capitibus, multosque puteos cadaveribus humanis repletos habuiſſe. Per id tempus erat vir quidam nomine Maximus, qui, tametſi philoſophum ſe eſſe profitebatur, erat tamen revera magus, futuraque ſe poſſe praedicere jactabat. ***) Fuit autem is Maximus Epheſius, qui theurgicae artis celebritate ſuperavit Euſebium, de quo plura mox dicemus.

Jamblichus magiae defenſor.

Monet nos Maximus, ut de Eclecticorum theurgia, quae in rem ſunt, ſubjungamus, regreſſi per haud magnum temporis ſpatium ad Jamblichum. Afflante fortuna Eclecticorum diſciplinae, paulatim horum hominum crevit audacia. De Plotini miraculis modeſte admodum et verecunde locuti, indulgere mentiendi libidini, et jactantiae diſcipuli magis magisque coeperunt, nactos ſe cernentes aures patulas, et animos ad credenda, quae audaciſſime etiam fingerentur, pronos. Accedebat, quod Epicurei, quique praeter eos alii animum habebant adverſus praeſtigias obfirmatum, minuebantur in dies, quod Ariſtotelici etiam in partes pertrahi captioſis Platonicorum argumentis ſeſe erant paſſi, ut adeo, exſtinctis fere reliquis philoſophorum ſectis, ſoli regnarent Eclectici. His fulti jam ſine verecundia, ſibi eſſe cum geniis ac Diis familiaritatem, imperium in daemonas, mira multa ſeſe edere, coeperunt gloriari. Prae ceteris Jamblichus Porphyrii diſcipulus artibus hisce inclaruit, qui non contentus, qua florebat maxima ſanctitatis fama, qua divinus vocabatur, e mi-

*) C. F. de Cautz de cultibus magicis I, 3. §. 101.

**) Gregor. Nazianzen. Stelitent. in Julianum I, p. 285. Baſil. 1550.

***) Theodoret. Hiſt. Eccleſ. III, c. 21, 22 Caſſiodor. hiſt. eccleſ. 17. c. 48. qui Theodoretum videtur per omnia in his ſecutus, Nicephor. Hiſt. Eccleſ. X, 35.

e miraculis insuper novam ausus est captare celebritatem. De hoc narrabant discipuli, eum inter fundendum preces videri ab humo cubitos amplius decem rapi sublimem, corpus et vestimentum ejus in aureolum colorem mutari, mox, finitis precibus, in pristinam redire speciem, ac tum demum ad terram descendere. Sed et alia virtutis humana majoris afferunt exempla, et qua ratione futura praeviderit tanquam praesentia, exponunt, inprimis vero imperium in daemonas exercuisse tradunt, ejusque exemplum narrant: lavantem in thermis Syriae quae Gadarae erant, nata de balneis disceptatione, ut discipulis doctrinae suae fidem faceret, jussisse eos ex indigenis sciscitari, quibus jam olim donati fuissent nominibus duo e calidis fontibus elegantiores; et postquam rescivisset, uni amori, alteri anteroti, sive amori opposito, nomen esse, ipsum confestim contacta manu aqua, paucis admurmuratis verbulis, de fontis imo excivisse puerulum candidum, commoda statura, capillitio in fulvum aurum tincto, dorsi cute nitida. Tum transeuntem ad alterum fontem, et eadem, quae prius, peragentem, alterum amorem evocasse, prioris per omnia similem, extra comas nigricantes magis et rutilas per collum sparsas; ambos pusiones circumfusas arctis complexibus Jamblicho veluti patri naturali inhaesisse, eos vero illum in proprias suas sedes e vestigio restituisse. *) Praeter fidem discipulorum maxime subrestam (solent enim hi homines indulgere mendaciis) alia sunt, quae totam rem arguunt vanitatis. In fontibus enim habitare genios, et suum cuique daemonem inesse, absque idonea dicitur ratione, idque, ut supra docuimus, ex barbarie prima hominum animis inhaesit. Ex accolis praeterea, quodnam esset fontibus nomen, quaesivit, quasi genios hi nossent, aut nomina fontibus pro lubitu imposita ab his, geniorum significarent naturam. Quam absurdum denique est, amorem in fontium altero habitare, ideo quod amoris nomen accolae ei fecerant.

De magia an scripserit Jamblichus.

Hujus Jamblichi in fronte nomen gerit liber, de mysteriis Aegyptiorum, in quo subtilissime magiae totius ac theurgiae ratio exponitur, omniumque, quod sciam, accuratissime Alexandrinorum hac de re traditur disciplina. Qui etiamsi forte ipsum Jamblichum non agnoscat auctorem, quod nuper argumentis haud spernendis docuit C. Meiners V. Cl., ex Alexandrinorum tamen schola dubio procul est profectus, et sub ipsam forte Jamblichi aetatem in lucem editus. Quae sunt in hoc libro praecipua, afferemus infra, ubi de argumentis, quibus defensa est magia, sumus acturi.

Discipuli ejus.

Post Jamblichum philosophiae omnis Platonicae finis habita est theurgia, id est, familiaritates cum daemonibus, ipsoque rerum omnium conditore, quaeque pendent inde, ars vaticinandi, miraculaque plurima edendi. Hinc discipulorum ejus nemo est, quin mira aliqua patrarit, Eustathius, Sosipatra, Antoninus, Eusebius Myndius, Aedesius, Maximus et Chrysanthius, thaumaturgi omnes feruntur fuisse. Nolo in his narrandis esse longior, cum Bruckerus omnia accurate jam tradiderit, **) cumque insuper ea adeo sint inter se similia, ut ex uno cognoscere omnia sit facillimum. Sunt autem miracula haec adeo per se absona, adeo manifestis mendaciorum indiciis notata, ut, qui paulo curiosius singula inspexerit, non possit saepe abstinere a risu, aut cohibere indignationem, horum hominum impudentia, et seculi credulitate, his magis aures praebente, motam. Unum, quod traditur de Maximo, praeterire silentio non possum. Fidustius praesidia-

lis,

*) Brucker. Hist. Crit. Phil. T. II, p. 264.

**) Ibid. T. II, p. 273. sqq. conf. Meiners Beytrag zur Geschichte der Denkart der ersten Jahrhunderte nach Christi Geburt p. 52. sqq.

lis, inquit Marcellinus, confessus est, se cum Hilario et Patricio vaticinandi peritis, de imperio consuluisse futuro. Inducti itaque Patricius et Hilarius aperiunt negotii fidem ab ipsis exordiis replicatam. Et prior Hilarius, construximus, inquit, ad cortinae similitudinem Delphicae, diris auspiciis de laureis virgulis infaustam hanc mensulam, quam videtis, et imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis ac diuturnis, ritualiter consecratam movimus tandem, movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, institutio erat talis. Collocabatur in medio domus emaculatae odoribus arabicis undique lance rotunda pure superposita ex diversis metallicis materiis fabricata; cujus in ambitu rotunditatis extremo elementorum 24 scriptiles formae incisae perite dijungebantur spatiis examinate dimensis. Hic linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine praescitionum auctore, caerimoniali scientiae supersistit, cortinulis pensilem annulum librans arctum ex carpathio filo perquam levi, mysticis disciplinis initiatum; qui per intervalla distincta retinentibus singulis litteris incidens saltuatim heroos efficit versus interrogationibus consonos ad numeros et modos pene conclusos, quales leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quaerentibus nobis, qui succedet imperio praesenti, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, et adsiliens annulus duas perstrinxerat syllabas ΘΕ cum adjectione litterae postrema; exclamavit praesentium quidam, Theodorum praescribente necessitate fatali portendi. Nec ultra super negotio est exploratum, satis enim apud nos constabat, hunc esse qui poscebatur. — Neque ita multo post Maximus ille philosophus, oraculi supra dicti versus audisse insimulatus, seque comperisse adsensus, seque reticenda professionis consideratione non effudisse. *) Idem divinationibus in transversum egit Julianum, a plebe post imperatoris caedem ob divinationum vanitatem irrisus. **)

Genus hoc divinationis δακτυλιομαντεια consuevit vocari: a qua aversum non fuisse Maximi animum, vel inde satis constat, quod rem actam cum eo communicarunt, quodque rem ipsam non improbavit. Quam autem inanis sit haec divinatio, eventus ipse docuit, cum Theodorus imperium nunquam sit adeptus; esse autem ambiguam ut oracula omnia, res ipsa declarat; denique potuit facile impelli annulus, ut eas feriret litteras, quas inesse nomini ejus, quem adepturum imperium probabile existimabat, quiannulum movebat. Quae omnia qui secum reputaverit, non poterit non fateri, theurgiam omnem et magiam Alexandrinorum meras esse nugas et hominum male feriatorum aut male sanorum insomnia; ut qui, si meliora habuissent et certiora, si ad Dei ipsius fuissent admissi familiaritatem, fallacia adeo et ambigua divinandi genera profecto contemsissent. Quod autem adjecit Maximus, sese capitis poenam vaticinatum, cum negotium aperiretur sibi, fingi facile, et absque ullo ne redargueretur metu, potuit ab homine, divinationem sibi et familiaritatem cum daemonibus vindicante, interfectis jam, quibus dixisse haec gloriabatur. Δακτυλιομαντεια.

Multae post Constantinum ab imperatoribus sunt promulgatae leges, multa in conciliis ab episcopis aliisque religionis Christianae ministris sunt acta; poenis semper auctis, ut Latinos semper grassatur magia.

*) Ammian. Marcellin. XXIX, p. 384. sqq. cf. Socratis histor. Eccles. IV, 15. qui necyomantiam id narrat fuisse, contra Sozom. hist. Eccles. VI, c. 35. ab Ammiano stat.

**) Nicephor. histor. Eccles. X, 35.

ut magica sacra, quaeque alia artis inserviunt exercitio, ex animis hominum delerentur. Sed nihil plane singulis effectum et universis. Longum foret singula enumerare; si quis curiosior paulo fuerit horum, eum ablegamus ad C. Franc. de Cautz librum, ubi accurate haec inveniet narrata. *) Corrupta semel per magiam philosophia alias quoque infecit disciplinas, relicto quippe, quo obviam iretur superstitioni, fere nullo. Artem medicam Galenus defendere ab ingruente stoliditate pro virili studuerat, tantumque effecerat auctoritate, ut qui antea magiam intulerant in medicinam, aut inferre postea nitebantur, vix audirentur. At hujus etiam medicorum principis auctoritatem vicit tandem ignorantia, et credulitas ignorantiae filia, latius in dies grassans. Empirici qui vocantur medici, superarunt tandem eos, qui certas sequebantur in morbis sanandis, e morborum indole et medicamentorum natura haustas regulas; facilius enim est praecepta aliquot mandare memoriae, quam rerum abditarum scrutari naturam.

Marcellus Empiricus remediis magicis praecipit esse utendum.

Theodosio imperante Marcellus Empiricus pro virili superstitiosam hanc artis medicae partem juvit; is amuleta, et formulas efficaces ad nauseam usque lectoribus oggerit, unde aliqua excerpam, ne secretam semper ac paucissimis cognitam fuisse hanc amuletorum vim, ut solent, glorientur, sed publice propositam ipsi cogantur fateri. Capitis dolori jubet ita Marcellus mederi: cum intraveris in urbem, lapillos, qui in via jacebunt, quot volueris, collige, dicens tecum ipse, ad capitis dolorem te remedium tollere; ex iis unum capiti alligato, ceteros post tergum jacta, nec retro respice. Porro faecula, qua infectores utuntur, si spondam lecti priorem, qua vir cubat, perunxeris et spondae medio alligaveris, dolores capitis remediabis. Terra etiam viva in ovum mane conjecta et sub lectum ad caput collocata, unice prodest. Tandem hirundinum pulli lapillos in ventriculis habere consueverunt, ex quibus qui albi maxime fuerint, si in manu etiam singuli teneantur, aut circa caput lino nectantur, veterrimos et diutinos capitis mulcent dolores, nisi contactu terrae lapillorum potentia minuatur. **) Multa alia sciens praetereo, apud auctorem ipsum locis infra laudatis videnda. ***) Hebraica quoque in carminibus vocabula interdum adhibet, corco ut medeamur, carmen jubet in lamella stannea scribi, idque collo suspendi, ante autem cani, corcu ne megito cantorem utos, utos, utos, praeparabo tibi vinum lave, libidinem discede unnonita. In nomine Dei Jacob, in nomine Dei Sabaoth. †) Ipsum quoque Christi nomen, mixtis caerimoniis astrologicis et superstitionibus paganis censet adhibendum, in sanando ischiade. Collige, inquit, herbam, quae dicitur Britannice, die Jovis vetere luna, — sed hanc herbam ter dum teris et antequam colligas, praecantare debes sic: terram teneo, herbam lego, in nomine Christi prosit id, quod te colligo. ††) Tandem characteribus et litteris nullam omnino vocem efficientibus praecepit utendum: ad coli dolorem scribere debes in lamina aurea de graphio aureo infra scriptos characteres, luna 21, et laminam ipsam mittere intra tubulum aureum, et desuper operire vel involvere tubulum ipsum pelle caprina, et caprina corrigia ligare in pede dextro, si dextra pars corporis colo laborabit, aut in sinistro, si ibi causa fuerit, habere debebit: sed dum quis hoc utitur praeligamine, abstineat a venere, et

*) De Cultibus magicis I, 3. §. 105. sqq.

**) Marcell. Empiric. de medicin. cap. I, column. 253. inter medic. art. principem post Hippocr. et Galen. 1567.

***) Ibidem c. 8, pl. 268. cap. 10. cap. 12. c. 14. c. 15. cap. 20.

†) Ibid. cap. 21. ††) Ibid. cap. 25.

et ne mulierem aut praegnantem contingat, aut sepulcrum ingrediatur, omnino servare debebit; ad ipsum autem coli dolorem penitus evitandum, ut sinistrum pedem semper prius calceet, observabit. Hi sunt characteres scribendi in aurea lamina

L * M Θ R I et
L * M Θ R I et
L * M Θ R I et *)

Haud longo post Marcellum temporis spatio scripsit Aetius, parcior quidem in commemorandis remediis magicis, ab eadem tamen superstitione non plane immunis: siquidem de draconis imagine jaspidi insculpta eadem quae Marcellus narrat; **) gemmisque compluribus ingentes existimat, si adalligentur, inesse vires; ***) lupi stercus ulnis aegroti alligatum filo ex ove a lupo discerpta, prodesse coli doloribus; †) ad steriles reddendas mulieres varia esse adhibenda amuleta scribit. ††) Aetius eadem superstitione laborat.

Aetium excepit Alexander Trallianus, amuletis et incantationibus magnopere etiam favens, quibus ut auctoritatis aliquid addat, Galeni nititur testimonio, e cujus de Homerica tractatione libro haec adducit verba: nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulis esse persimiles, quemadmodum ego quoque diu existimavi, temporis autem processu, ab iis, quae evidenter apparent, persuasus sum, vim in ipsis esse. Nam percussis a scorpio adjumentum expertus sum, nihil autem minus in ossibus etiam gutturi infixis, quae incantatione statim exspuebantur. Ac multa praeclara singulae habent incantationes, cum institutum consequuntur. Miratus equidem, qui fiat, ut Galenus, amuletis et incantationibus vehementer adversus, vinci se tandem a superstitione sit passus, catalogum omnium Galeni librorum evolvi apud Fabricium, e Galeno etiam ipso librorum ejus titulos afferentem, ibique librum hunc Galeni frustra quaesivi †††). Haud itaque mihi videtur dubium, Trallianum, ut causae patrocinaretur, spurium Galeni librum adduxisse, seu de industria, qui solet esse horum hominum mos, sive in errorem ipse inductus. Nactus propugnatorem Galenum quasi triumphans noster subjicit haec: si igitur divinissimus Galenus et alii plerique veterum testantur, quid prohibet nos quoque, quae experientia cognovimus, et quae ab amicis sinceris accepimus, haec vobis communicare? Multa igitur sunt et alia (in doloribus renum) sed nullum ita, ut annulus Cyprio ex aere confectus, habet autem in hunc modum: aes Nicanum aut Cyprium, quod igni in totum non admotum fuerit, accipito; quod in ipso metallo aeris invenitur, veluti tesseram facito, ut in digito appareat, et ubi in ea insculpseris leonem, et simulacrum, et stellam, hujus circulo nomen bestiae inscribito, et inclusam aureo annulo gestato in minori digito medico juxta minimum. *) Sanando comitiali morbo amuleta haud pauca praescribit Trallianus, Osthani ejusque similibus fidem temere habens. **) Quin ad annulorum ac verborum merorum vim delabitur tandem Galeni cultor fidissimus, quod nisi oculis cernas, Nec minus Alexander Trallianus.

*) Marcell. Empiric. de medicin. c. 29.
**) Aet. tetrabibl. tetr. I, serm. II, c. 35.
***) Ibid. per totum sermonem.
†) Ibid. tetr. III, serm. I, c. 31.
††) Ibid. tetr. IV, serm. IV. cap. 27.
†††) Fabric. bibl. Graec. lib. IV, pars II, cap. 17.
*) Alexand. Trall. de arte medica IX, c. 4. **) Ibid. I, c. 15.

cernas, credere nulla ratione possis. Contra colicam postquam amuletorum affatim suasit adhibendum, inter alia hoc etiam affert: annulum ferreum accipito, ac circulum ipsius octangulum efficito, atque ita in octangulum inscribito φευγε, φευγε, ἰȣ χολη ἡ κορυδαλος εζητει. Subjectam autem figuram in caput annuli scribito N Hujus magnam habui experientiam ac absurdum putavi tantum medicamentum naturale colicae adversum non vobis tradere. Sed admoneo vos, ne quibuslibet ostendatis, virtutis autem studiosis et qui ejusmodi possunt conservare, communicate. Quod etiam Hippocrates divinissimus cum novisset, praecipit his verbis: res, quae sanctae sunt, sacris hominibus ostendantur, profanis autem non fas est. Paretur autem praefiguratus annulus 17 aut 21 die lunae. *) Hominem profecto in custodiendis arcanis religiosiorem equidem videre me non memini; qui garrulis aut mulieribus rem aperiunt arcanam, monentes, ne ulli ejus faciant copiam, hunc religione superant modis infinitis. Hinc simul vanitas hominis, quantum experientiae ejus circa vim annuli sit tribuendum, intelligitur. Quanquam pigeat plura ex hoc scriptore adducere, non possum tamen amuletum, quod podagram arcet, ob sonos verborum suavissimos, tacitus praeterire. In laminam auream luna desinente scribito, et nervis gruis involvito, deinde simili canaliculo ipsam includito, gestatoque ad talos: meu treu mov phor leux za zon, phe lou chri ge ze on. Quemadmodum sol in hisce nominibus firmatur et quotidie renovatur, ita hoc figmentum confirmatur, quemadmodum prius, jam jam cito cito, ecce enim magnum nomen dico, in quo conquiescentia firmantur, jaz azyph, zyon, threux, bayn choog. Firmate hoc figmentum ut erat primum, jam jam cito cito. Nec pudet eum nominibus etiam Dei Hebraicis uti, Sabaoth, Adonai, Eloi abati, immisto simul peregrino Jaoth, in alio contra podogram amuleto. Quibus ubi inveneris mixtum Homeri etiam versum, quem laminae aureae inscriptum, cum luna est in libra, aut, quod longe praestat, in leone, pedibus magnopere affirmat esse saluti; **) mirari hominis vecordiam omnia miscentem vix satis potes, cum certi quicquam non sequatur.

Homines immolare freqnens Magis.

Homines immolare hac tempestate adeo non ducebatur religioni, ut nihil potius inveniatur frequentius. Imperatorem Valerianum magus Aegyptius impulit, ut mactaret pueros misellos, tenera infantum dissecaret viscera, ad profanas exercendas praestigias et exsecranda mysteria exsequenda. ***) Pollentinus militum tribunus sub Valente, exsecto vivae mulieris ventre, atque intempestivo partu extracto, infernis manes excitos de permutatione imperii consulere ausus est. †)

Necyomantia nova.

Necyomantiae duo hucusque vidimus genera, adjungamus nunc tertium, cujus a Suida primum fit mentio; quando ortum sit, ignoratur. Ubi pervenerint in locum, unde elici manes possint, quos percontari cupiunt, id est, ubi mortui sunt aut sepulti, nec inveniunt sepulcrum, investigant id, arietem nigrum, e cornu aut altero pedum anteriorum prehendentes, circumducunt. Sequitur is facile, donec perventum fuerit, ubi ille vel illa est sepulta, ibi sese prosternit. Tunc remoto ariete et occultato, adhibitis caerimoniis et incantationibus multis variisque, locum eum circumeunt, audiuntque manes loquen-

*) Alexand. Trall. X, art. De colico affectu ex calidis et biliosis.

**) Ibid. XI, artic. Naturalia diversa ad pedum fluxionem et podagram.

***) Euseb. hist. eccles. VII, 9.

†) Ammian. Marcell. XXIX, p. 393.

loquentes; causasque, ob quas irascuntur, aperientes. *) Hic ergo e sepulchro manium auditur responsum, non ipsi eliciuntur aut cernuntur.

Hucusque magia omnis nititur necessitate quadam physica, verbis, herbis et lapidibus inhaerente, qua genii sive boni sive mali cogerentur ad praestanda, quae cupiebant homines, pacti homines inter et daemonas mentio fit nulla. Quae enim Augustinus affert de pacto, sensu sunt latiore dicta, etsi solent a nonnullis in angustiorem ac proprium invito ipso detorqueri. Sunt ea hujusmodi: Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus ad facienda vel colenda idola pertinens — ad consultationes et pacta quaedam significationum cum daemonibus placita atque foederata, qualia sunt molimina magicarum artium. **) Societatem et pactum nihil hoc loco intelligit aliud, quam consuetudinem illam seu familiaritatem, qua daemones, quae capiunt homines, efficiunt, eosque quibus possunt modis juvant, id quod societatis, foederis et pacti aliquam gerit similitudinem. Hinc subjicit infra, accuratius id definiturus: Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriae vel noxiae superstitionis, ex *quadam* pestifera societate hominum et daemonum *quasi pacta* infidelis et dolosae amicitiae constituta, penitus sunt repudianda. ***) Nihilo tamen secius de pacto quaedam audisse Augustinum, a vero non abhorret, ut mox patebit, etsi accuratam rei notitiam nondum haberet, essetque res ipsa adhuc in incunabulis, ut adeo prima hujus rei elementa hoc jam seculo sint orta.

Pactum cum daemonibus.

Hucusque de sagarum conciliis et congressibus nocturnis, certis quibusdam locis habitis, nihil est inauditum; rem Graeci, Romani, quique eos sunt antegressi, Persae, Aegyptii aliique prorsus ignorabant. Nec video etiam, cur ea finxissent, nullam inter magos et magas agnoscentes societatem, nullum reipublicae genus, nullum magorum denique principem, aut praesidem Deum, magos praeterea carminibus imperare ipsis Daemonibus et Diis sibi persuadentes. Primus, qui ejus rei facit mentionem, est Augustinus, ut adeo ejus demum aetate rem invaluisse, aut ad plurium erupisse notitiam, a vero non abhorreat. Totum apponam locum, etsi aliena ab hac re complexum, ut insuper appareat inde, quod supra monuimus, patres ecclesiae vim et efficaciam magiae non negare, repetere tamen eam a geniis malis. Daemones et acrimonia sensus, et celeritate motus aerei corporis, terrenorum corporum sensum facile antecedunt, et quaedam cogitata praenuntiant, quae homines mirantur propter tarditatem terreni corporis. Accessit autem daemonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longe major experientia, quam hominibus potest evenire propter brevitatem vitae. Idcirco quaedam futura praedicunt et quaedam mira faciunt, quibus homines alliciunt et seducunt. Unde quaedam mulierculae post Satan conversae, daemonum illusionibus et phantasmatibus seductae, credunt se et profitentur, nocturnis locis cum Diana paganorum dea, vel cum Herodiade et Minerva, et innumera mulierum multitudine equitare, earumque jussionibus obtemperare. †) En novam rerum faciem, sagarum principem, cujus nutui parent, sagarum concilia nocturna, et equitationem, qua in loca constituta deferuntur. Haec omnia consideranti a vero non videtur alienum, exstitisse tum temporis jam pactum quoddam cum daemonibus, de eoque Augustinum fando aliquid accepisse; imperium enim et societas esse sine pacto vix potest. Huic magiae generi deditas fuisse mulieres Christianas, diserte quidem Augustinus non scribit, at probabile est tamen se-

Sagarum concilia nocturna.

 cum-

*) Suidas in ψυχαγογεια.

) Augustin. de doctr. Christ. I, 20. *) Ibid. I, 23. †)

eum reputanti, religionem Christianam omnia fere hac aetate jam occupasse; nec obstat, quod Minervam, Dianam, aut Herodiadem agnoverunt sagae principem; non licebat enim Christianis magicis uti artibus, diabolum praeesse magis, eosque juvare, docebant Christianorum doctores, insuperque qui magiae esset deditus, eum non posse Christianum esse, sed eo ipso religioni Christianae renuntiare, in conciliis fere omnibus decreverant; eligendum itaque sagis erat paganorum aliquod numen, cui imperium deferrent. Jam Dianam quare sibi praefecerint, non est obscurum, huic enim, quae ab Hecate et Luna nihil differt, sacra magica antiquitus fiebant, Minerva autem et Herodias, qui ad tantam evectae sint dignitatem, nobis multas ejus seculi traditiones, fabulas et superstitiones ignorantibus, non potest non esse obscurum. Equitationes denique nocturnae originem trahere e re vetustiori, nonnihil aucta et mutata, mihi quidem videntur. Volare sagas antiqua videtur et communis persuasio, striges enim affirmat Festus dici ab avibus ejusdem nominis, quia maleficae mulieres volaticae vocantur. *) E Luciano et Apulejo supra narravimus, magas Thessalas unguento usas, ut in aves bestiasque alias sese verterent; e Virgilio praeterea poetisque aliis constat, herbarum quarundam vi homines verti in lupos, per aerem volare aut vehi sagas, Augusto jam imperante homines credidisse. Quodsi his adjungas, quae de Medea per aerem vecta, fabulae narrant antiquissimae, a prima inde barbarie hanc manare persuasionem nullus dubitabis. Habet autem tota res ita: sunt herbae, sunt unguenta ex succis quibusdam confecta, phantasiam mire pervertentia, et quae quis sibi proposuerit vigilans, eadem se perpetrare unguento aut herbarum succo sopitum, ut credant, homines inducentia; eoque ipso cum somnium non discernant a vigilia, eademque animo obversentur, quae vigilantes cogitarant, persuadentia hominibus vigilare sese, et quae imaginantur, revera sese facere ac sentire. His venenis usae sagae, usi magi, volare sese, et in quascunque vellent bestiarum figuras sese vertere, in animum induxerunt.

Sagarum numerus ingens.

Sagarum ea tempestate ingentem exstitisse numerum, quanquam disertis verbis nemo scriptum reliquerit, probabile tamen non modo, sed necesse omnino est, superstitione magica undique fulta, et a viris etiam litteris imbutis, doctoribusque Christianis stabilita. Quamdiu enim viget opinio, posse artibus secretis allici daemonas, eorumque opera mira multa patrari, quicquid decernant concilia, disserant pro suggestu sacro oratores, non tollitur magia, deficientibus nunquam, quos pravae cupiditates agant in transversum, ut opibus, auctoritate, voluptatibus abundare hic loci malint, quam toleratis duris quibuscunque, post hanc vitam demum frui beatitudine nunquam desitura. Ab his itaque mulieribus, sermones inter se de rebus magicis habentibus, et altera alteram ad eadem pertrahentibus sacra, excogitatum tandem est concilium sagarum nocturnum. Sic itaque superstitiones paganae nova indutae forma, mulieres Christianas occupavere. His accessit hac aetate etiam illud, e fabulis pristinis, antiquissimaque Judaeorum traditione repetitum, genios et angelos concubitum cum hominibus exercere, ortum dubio procul ex morbi genere eo, quod incubus consuevit vocari, mistis ei lascivis insuper somniorum generibus. Hanc superstitionem plebi infimae videntur magi reliquisse, nec ejus rationem habuisse ullam; in magicis certe caerimoniis aut traditionibus hucusque ejus mentionem videmus nullam. Hinc vulgi sermonibus celebrabantur in Italia Fauni, in Graecia Satyri, Aegypanes, mulieribus solis per sylvam ambulantibus avidissime insidiantes. Postea au-

tem

*) Festus voce striges.

tem quam ex infima plebe superstitiones et fabulae de daemonibus ascendere ad eruditos, medicos, philosophos, theologos haud levi sensus communis dispendio coeperunt, quaesitum serio est a theologis, an daemones et angeli possint rem habere cum hominibus? Sacrarum inprimis litterarum interpretes multum super ea re disputarunt. *) Ab his transiit opinio ad alios etiam, eos maxime, qui nosse daemonum naturam accuratissime profitebantur, inter quos Michael Psellus, litteris cetera satis imbutus, sed credulus et superstitiosus supra feminam, monachi cujusdam delirantis somnia narrat. Is, inquit, sperma nonnulli emittunt; et vermes quosdam spermate procreant, vasa quidem eis spermatica sunt nulla, superflui autem seu excrementi nescio quid emittunt, hoc mihi asserenti credito. Aluntur enim alii inspiratione, ut spiritus arteriis nervisque contentus, alii humiditate, non tamen ore ut solemus excepta, sed spongiarum, testaceorumque piscium more, adjacentem extrinsecus attrahentes humorem, posteaque excretionem spermaticam excernentes. **) Nihil profecto dici insulsius potest, quasi inspiratio, aut ostreorum nutritio absque organis huic rei idoneis fieret; aut esset semen, ubi nulla est generandi necessitas. Quae porro monstra pepererit haec opinio, mox videbimus.

Eaedem superstitiones a parte altera in hominum etiam sanctorum, quique habebantur religiosissimi, maxime Christiani, mutato nonnihil habitu, animos irrepserunt. Philosophia imbuti Platonica multi Christo nomen dabant; suo omnia pede metientes deinde, talemque animo concipientes religionis Christianae formam, qualem opiniones ante animo infixae postulabant. Fanatici praeterea alii ad familiaritatem antiquam cum Diis adspirantes, et spe destituti, novae religionis tot miraculis stabilitae auxilio speratа sese adepturos sibi persuadentes, ad eam transierunt. Horum plurimi temporum difficultate, imperatorumque in Christianos saevitia coacti in deserta sese abdiderunt, stimulati insuper auctoritate sacrarum litterarum, multa magnaque hominum fugientibus contagionem, seculique corruptionem, promittentium. Ibi igitur dies noctesque operam navantes novo sanctitatis generi, jejuniis praeterea, aliisque quibus poterant modis corpore fatigato, et phantasia perversa, methodum tandem excogitarunt ad Deum et angelos propius accedendi, eorumque familiaritate fruendi. Fieri rebus ita sese habentibus aliter non poterat, quam ut, quae tanto studio petierant, assecutos tandem sese existimarent, versarique inter angelos sese, a daemonibus vexari, inque alio prorsus mundo degere, corruptis animae viribus, sibi persuaderent. ***) Ab hujusmodi hominibus inventa est theologia mystica, id est, methodus ad Deum accedendi, ejus contemplatione fruendi, inque angelorum familiaritatem sese insinuandi, nomine nova, re antiqua, quippe paullulum modo a Platonicorum theurgia, Gnosticorum γνωσει, et magia discrepans. Philosophi namque precum formulis, sacrificiorum caerimoniis, vitae puritate cogi existimabant Deum et daemonas, ut suo nos lumine collustrent; Christiani contra pie magis liberum relinquebant Deo descendere, ad quem liberet, aut sursum ad se elevare, quem dignum judicaret. Ceterum verbis potius quam re theologi mystici a philosophis theurgis discrepant; est enim mystica theologia non minus quam theurgia, disciplina ad Deum et angelos ascendendi, quae nisi causarum et effectuum nititur ordine, nisi certum est et fixum, qui eam sequitur, evehi ad Dei contemplationem et angelorum familiaritatem, inanis est

Magos, theurgos, mysticos ... [margin note partly illegible]

Theologiae mysticae inter Christianos origo.

*) Augustin. de Civ. Dei. XV, 22, 23.

**) Psell. de operat. Daem. c. 9. in Bibl. Max. Patrum T. XVII, cf. Plin. XXV, 4.

***) Zimmermann von der Einsamkeit Band I.



est tota et vana. Praecepta porro theurgorum haud multum differunt a praeceptis mysticorum, castitas, jejunia, victus tenuis, solitudo, preces, divinorum meditatio, sunt utrisque communia; redemtio per Christum facta, eleemosynae Christianis modo propria; finis denique utrisque idem, exstasis, Dei luminis instar apparentis majestas, angelorumque multo lumine splendentes formae. Nec fieri id per rerum naturam aliter potest, cum mystica omnis theologia omnisque theurgia, id est, ars naturas spirituales cernendi, uno eodemque nitatur fundamento, sitque unus tantum idemque eo perveniendi modus.

Magos, theurgos, mysticos iisdem uti praeceptis necesse est.

Uno omnes ore fatentur, sensibus percipi externis spiritus non posse, aut si percipiantur nonnunquam, eo tamen adduci rem nequire, ut perpetuam jungamus et constantem cum iis familiaritatem. Hanc adepturos moliri res novas et a communi hominum vita alienas oportet; nemo unquam daemonum aut angelorum fuit amicus, quin peculiare quoddam vitae sectaretur iter, longeque ab aliorum hominum vivendi ratione abiret. Mutari ergo quaedam in corpore, id est, corrumpi organa phantasiae interna, necesse est; omnis enim vivendi ratio singularis, et ab solita hominum diaeta recedens non corrumpere organa interna non potest. Fit autem duobus id maxime modis, aut medicina adhibita, aut constanti victus, vestitus, vigiliarum et somni ratione. Qui illa utuntur methodo, inebriati, in furorem acti, aut sopiti etiam ad breve tempus, mira multa sese cernere, et in spirituum coetum introduci sibi imaginantur. Qui hanc sequuntur, phantasiam ex parte pervertunt in perpetuum, nimia namque a rebus venereis abstinentia, jejuniis, et somni parsimonia debilitatum corpus et cerebrum, phantasmata gignit insolita, eoque tandem deducit rem, ut, quae cupiunt homines, cernere sibi videantur. Hi igitur perpetuam cum naturis spiritualibus ineunt consuetudinem, ut, quoties lubet, in earum transeant, relicto corpore, ut putant, coetum. Hinc igitur apparet, qui fiat, ut omnis, quae hucusque inter homines viguit magia, duabus tantum nitatur methodis, quarum illam sequuntur barbari, et rudis prima gentium aetas, hanc cultiores, quique sanctitatem affectant majorem; qui fiat, ut inter gentes feras hodieque obvias, inter Graecos, Romanos et apud antiquitatem omnem divinatio omnis furori tribueretur, ut magia vetustissima herbis et medicinis hominum mutare formas, deos elicere, per aerem homines ferre sublimes crederetur; quique fiat, ut temporum progressu jejuniis, castitate, vigiliis, victus tenuitate, et solitudine ad Deum et naturas corpore vacantes accedere homines, et exercere magiam existimarentur. Ceterum, ut hoc etiam addam, theologia mystica diu ante invecta, seculo post Christum natum quinto, ab homine Dionysii Areopagitae nomen sibi arrogante, ut antiquitatis auctoritate praesidium sibi pararet, in disciplinae formam est redacta.

Cap. XIII.

DE MAGIA GENTIVM EVROPAE VERSVS OCCIDENTEM HABITANTIVM AD SECVLVM VSQVE XIII.

Galli, Britanni, Germani magiam a Roma-

Hoc in statu res mansere, donec in partibus Europae septentrionem magis respicientibus novum magiae genus emersit. Quanquam enim imperatores et concilia novis semper constitutionibus et canonibus magiam oppugnarent, delere tamen eam nequiverunt, id modo tot conatibus repetitis efficientes, ut infamis ea haberetur et homine

Christia-

Christiano prorsus indigna. Id quem sortitum sit eventum, infra videbimus, postquam de antiquissima gentium septentrionalium magia quaedam scitu necessaria praemiserimus. Ut a Graecis ad Romanos, ita a Romanis ad alias Europae septentrionales, aut occidentales partes propagatam superstitionem magicam, solet a rerum auctoribus poni pro certo. Equidem quoties in animum revoco, quae de superstitionis hujusce ortu in orationis principio attuli, Gallos, Hispanos, Britanniam et Germaniam, ante Romanorum adventum magiam habuisse indigenam; aut si forte allatam aliunde cum gentis cujusque primordiis, pro soli tamen, coelique natura, et ratione vivendi immutatam adeo, ut primis elementis similis plane non esset, facile mihi persuadeo. Quod ne ponere audacter, aut e temere positis, temere videamur inferre, age ex ipsis jam scriptorum testimoniis, qui sub Romanorum in Gallias, Britanniam, et Germaniam incursionem vixerunt, Plinio et Tacito maxime, id demonstremus. Hi quanquam post primas scripserunt Romanorum in has terras expeditiones, probabile tamen non est, gentes barbaras, tam exiguo temporis spatio, superstitionibus et artibus Romanorum, quos tantopere abhorrebant, quibuscum vix ullum linguae iis erat commercium, quorum moribus, religioni, et artibus reluctati sunt per secula plura, esse imbutas. Idem profecto tum temporis accidebat, quod evenire ante secula pauca vidimus, hodieque videmus; ut jure adeo affirmetur, Americae septentrionalis incolae ut habent se ad Europaeos colonos; ita Germanos, Britannos, et maximam partem etiam Gallos, sese habuisse ad Romanos, et ut Americani Europaeas artes, superstitiones, religiones nondum susceperunt; ita has quoque gentes Plinii et Taciti temporibus, longe adhuc a Romanorum superstitionibus fuisse remotas. His accedit, quod nonnulla his gentibus propria a Plinio in superstitionibus magicis afferuntur, quae a Romanis originem profecto non trahunt. nis non acceperunt.

Britanni prae Gallis et Germanis magiae videntur fuisse dediti, de quibus mirabundus fere Plinius, Britannia, inquit, hodieque magiam attonite celebrat tantis caerimoniis, ut dedisse Persis videri possit. Adeo ista toti mundo consensere, quanquam discordi et sibi ignoto. *) Gallorum Druidae herbis magicas inesse vires putabant, iidemque lunam praecipue ad augendas earum vires sibi persuadebant valere. Ac de herbis quidem haec affert Plinius: nihil habent Druidae (ita suos appellant magos) visco et arbore, in qua gignantur (si modo sit robur) sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt. — Enimvero quicquid adnascitur illis, e coelo missum putant, signumque esse electae ipso a Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, et repertum magna religione petitur, et ante omnia sexta luna, quae principia mensium annorumque his facit. — Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis, epulisque rite sub arbore praeparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum tunc primum cornua vinciuntur. Sacerdos candida veste cultus, arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant precantes, ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Foecunditatem eo potu dari cuicunque animali sterili arbitrantur, contraque omnia venena esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est. **) Quid induxerit eos in hanc superstitionem, facile est intellectu: visci naturam ignorantes, nec, qui fiat, ut innascatur arbori planta, intelligentes, Deum ex machina advocarunt, divinamque plantae inditam esse vim inde sibi persuaserunt. Quare autem lunae, non Galli modo sed omnes fere gentes,

Britannorum et Gallorum Magia.

*) Plin. XXX, 1. **) Ibid. XVI, 44.

gentes, tantam in plantas tribuerint efficaciam, in promptu est. Lunam ob manifestas lucis mutationes, primam observarunt gentes curiosius, eademque in definiendis temporibus sunt usae; dein cum viderent herbas, animalia etiam, aliis lunae adspectibus vigere, maturescere, pinguescere, aliis arescere, ac marcescere; lunae ipsi id tribuerunt, indeque lunam multum posse in aliis, quin magicis etiam rebus, in animum induxerunt. Selago legitur sine ferro, dextra manu per tunicam qua sinistra exuitur (forte exseritur) velut a furente candida veste vestito, pureque, lotis pedibus et nudis, sacro facto priusquam legatur pane vinoque. Fertur in mappa nova. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidae Gallorum, et contra omnia oculorum vitia fumum ejus prodesse. Iidem samolum herbam nominavere nascentem in humidis, et hanc sinistra manu legi a jejunis contra morbos suum boumque, nec respicere legentem; nec alibi quam in canali deponere ibique conterere poturis. *) Hierobotanen alii peristerion, nostri verbenacam nominant — genera ejus duo sunt — quidam non distinguunt. Utraque sortiuntur Galli, et praecinunt responsa. **) Est ovorum genus in magna Galliarum fama, omissum a Graecis. Angues innumeri aestate convoluti salivis faucium, corporisque spuma, artifici complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidae sibilis id dicunt in sublime jactari, sagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo, serpentes enim insequi, donec arceantur amnis alicujus interventu. Experimentum ejus esse, si contra aquas fluitet, vel auro vinctum. Atque ut magorum solertia occultandis fraudibus sagax, certa luna capiendum censent, tanquam congruere operationem eam serpentum, humani sit arbitrii. Vidi equidem id ovum, mali orbiculati modici magnitudine, crusta cartilaginis velut acetabulis brachiorum polypi crebris insigne Druidis. Ad victorias litium ac regum aditus mire laudatur, tantae vanitatis, ut habentem id in lite in sinu equitem Romanum e Vocontiis a divo Claudio interfectum non ob aliud sciam. ***) Simile quid audire me olim ex infimi ordinis hominibus memini, ut adeo superstitionem hanc Germaniam quoque pervasisse sit probabile.

Germanorum magia.

Germanos adeo parum norant Romani et Graeci, ut ne de eorum quidem superstitionibus magicis accurate quicquam reliquerint scriptum. Quae passim apud eos occurrunt, ad religionem an magiam sint referenda, in incerto relinquunt; attamen cum magia et cultus Deorum apud gentes barbaras sit una eademque res: magicis operationibus accenseri commode, quae sequuntur, possunt. Cimbros ad bellum proficiscentes comitari solebant mulieres canae, fatidicae, albo vestitu, cinctu aereo, pedibus nudis; eae per castra captivis occurrebant strictis gladiis, prostratosque ad craterem aeneum adducebant, amphoras circiter viginti capientem. Super eum pulpitum erat, quo conscenso vates sublimis, singulis supra lebetem elevatis guttur incidebat, e sanguine in craterem fuso suam captabant quandam divinationem. Reliquae cadavera sic caesorum scindebant, intestinisque spectatis, victoriam suis vaticinabantur. †) Feminas porro plerasque Germani arbitrabantur fatidicas. ††) Porro auspicia sortesque ut qui maxime observabant. Sortium consuetudo erat simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant.

*) Plin. XXIV, 11. **) Ibid. XXV, 9.
***) Ibid. XXIX, 3. †) Strabo VII, p. 451.
††) Tacit. Hist. IV, 61. De morib. Germ. 8.

gebant. Mox si publice consuleretur, sacerdos civitatis, sive privatim, ipse pater familias, precatus Deos coelumque suspiciens ter singulos tollebat, sublatos secundum impressam arte notam interpretabatur. *) Denique mulieres sacrae fluviorum vortices inspicientes, sonumque observantes vaticinabantur. **) Qui e sono aquarum et vorticibus, eodem fere modo ad aures et oculos accedentibus, fieri divinatio queat, haud equidem intelligo; eo magis inclinat animus ut credam, vortices et rapidum fluminum intuentes cursum, abreptas in exstasin, futura cecinisse, diutius enim et intentius hos intuentes, vertigine corripiuntur, quam continuatam desinere in ecstasin credere licet.

Altum deinde de harum gentium magia est silentium.

Quae deinde superstitiones Gallis, Germanis et Britannis fuerint peculiares, qui ritus magici circa herbas, incantationes, aliaque his affinia, quos fecerint singula progressus, obscurorum seculorum ignorantia tradidit oblivioni. Praeterea qui memoriae res mandabant, aut monachi erant, aut ecclesiarum gubernaculis admoti, eoque satis habebant, fulmine ecclesiastico superstitiones et superstitiosos ferire, de ipsa superstitionum indole aut origine parum solliciti, immo nefas etiam ducentes, his impietatibus commemorandis sese polluere. Solent ad haec, ut est genus natura et institutione meticulosum, timere, ne litteris mandata serventur et propagentur, quae pietati ducunt adversa; nihil cupere vehementius, quam ut deleantur prorsus igne, aqua, aut alia quavis ratione exstinguantur, quo ipso optimas saepe res, quas magni hodie redimeremus, inscii prae nimio Dei et religionis amore, de medio sustulerunt. Hinc factum, ut, quae a seculo quarto apparent rara magiae vestigia, nihil doceant amplius, quam semper viguisse artes vanas, semper bellum contra eam susceptum tenuisse, nunquam esse debellatum.

Seculo VI. sagae igni tradi coeptae.

Vestigia haec sequentes, leges Salicas magiae adversas, Visigothos et Ostrogothos leges contra eandem tulisse, ***) ita tamen, ut parum his proficerent, modo intelligimus. Sexto namque seculo medio, regente Francos Chilperico I, mulieres duas ob incantationes et veneficia, igni vivas comperimus traditas. †) Hinc nova sequuntur regum et conciliorum contra striges et magos fulmina, unde id modo colligas, mulieres maxime tum temporis hanc artem exercuisse, ut quarum plurimum in legibus fit mentio; id quod rei naturae satis videtur consentaneum. Contra sese res habet apud antiquos, qui cum sacram ducerent artem magicam et religioni affinem, viri maxime operam ei navabant; at his temporibus, cum viri religioni Christianae dedissent nomen, et impia ac nefaria haberetur magia, abstinuerunt ab ea, mulieribus, quarum natura magis est ad superstitionem prona, quaeque facilius fingunt atque imaginantur sibi multa, suntque praeterea vehementioribus animi commotionibus obnoxiae, eam relinquentes. Quaecunque porro hac aetate afferuntur operationes magicae, novae non sunt, si nomina spectes; an in re, id est, caerimoniis, ritibus, novi quid reperiatur, non licet definire. Loquuntur Salicae leges de ligaturis, id est, nodis magicis, quarum mentionem poetas jam Latinos videmus facere; res tamen inter Francos magis videtur frequentata, rarior inter antiquos. Sagarum concilia quoque magis videntur magisque invaluisse; mulctam leges Salicae constituebant, qui alterum clamaverit strioportium, aut qui aeneum portare dicitur, ubi striae conci-

*) Tacit. de mor. Germ. cap. 9.

**) Plutarch. in Caesar. T. I, p. 717. Cl. Al. Strom. I, p. 305.

***) Franc. de Cautz de cultibus magicis I, c. 3. §. 114.

†) Ibid. 115. conf. Hauber, Bibl. mag. T. III, p. 533.

conveniunt, id est, ni fallor, instrumentum, quo signum datur ad conveniendum. Visigothorum leges de tempestatum immissoribus, deque iis, qui nocturna daemonibus sacrificia celebrant, loquentes, id superstitionis genus frequens fuisse satis produnt.

Magicarum superstitionum in oriente progressus.

Seculo VIII. in Oriente latius manaverat, quam ex Augustino et Psello supra attulimus superstitionem de daemonibus incubis,* qui in homines mutati, rapere mulieres, cumque iis dicebantur coire. De succubis cum sit hucusque silentium, mulieribus maxime hanc deberi fabulam apparet. Latius manaverat ibidem ea quoque superstitio, quam striges, id est, mulieres per aerem volantes, finxisse supra docuimus; adjectum insuper, eas circumire domos, nequaquam foribus aut clausuris prohiberi, et pueros suffocare, quin et hepar infantium vorare et omne illorum corpusculum exsugere. *)

Scriptores Arabum artibus magicis nova dedere incrementa.

Seculi octavi principio, Hispania ab Saracenis occupata, litterae Arabum commigrantes in Europam, novo eam lumine collustrarunt. Acceperant Saraceni philosophiam, a vicinis Graecis, unde, qualis apud eos viguerit philosophiae disciplina, satis jam intelligitur. Regnabant namque per aliquot jam secula Eclectici, Pythagorae, Platonis, Aristotelis, superstitionis denique et enthusiasmi contractis asseclis, sectas reliquas nullo negotio superantes. Hanc eandem philosophiam secuti sunt maxima Arabum pars, quique defecerunt, in plurimis tamen maximi momenti rebus ab his non discedebant. Crepabant quidem maxime Aristotelem, quasi eum sequerentur solum, at revera tamen ex Eclecticorum interpretabantur mente eum, et, ubi desinit Stagirita, ibi secundum Eclecticorum placita pergebant Saraceni. Acceptam ab his philosophiam mysticam, id est, magiae genus id, quod adscendere ad Deum, rerum omnium causam intueri e propinquo, viresque divinas derivare in animum nostrum docet, nec eam tamen puram, sed plebejis mixtam multis superstitionibus, ad quas Eclecticorum haud paucos vidimus supra delapsos, in Hispaniam importarunt, **) ingentique librorum numero illustrarunt, quorum catalogum exhibet Arpe. ***) Philosophiae mysticae mire favebat Thophail, idemque Avicennam ei deditum fuisse scribit. †) Fuit is in ea opinione, animam nostram divinae participem naturae, si purgetur rite a fecibus materiae, divinas posse nancisci vires, seu potius latentes in ea vires divinas, materiae crassitie cohibitas, explicare, imperiumque in corpora omnia exercere. ††) Huic magiae generi addebant praestigias etiam plebejas, praecipue goëtiam, quam Salmanticae †††) et Toleti *) traditam publice, sunt qui scribant. Quod quanquam vocari in dubium sciam ab haud paucis, gravibusque recentioris aevi scriptoribus; Naudaeo rei auctoribus fidem non esse habendam censente, **) cui addit Hauberus, ***) Baelium sequens, auctores secum pugnare ipsos, quod narrent, publice traditam magiam, nihilo secius ei docendae adhibitam speluncam, quodque spelun-

*) Franc. de Cauz de cultibus magic. I, c. 3. §. 118, 119.

) Arpe de Talisman. p. 47. *) Ibid. p. 91. sqq.

†) Thophail philosoph. autod. edit. Pocock. p. 3.

††) Comment. in Plin. Hist. Nat. in H. Corn. Agrippae opp. T. I, p. 506.

†††) Cardan. de subtilitate XIX, p. 1218. Basil. 1560. Voss. de Theolog. gentil. I, c. 8. alios majoris momenti citat Möhsen Beytr. zur Gesch. der Wissensch. in der Mark Brandenburg p. 35. in Thurneisens Leben.

*) Bodin. de daemonomania praef.

**) Naudé Apolog. des grands homm. ch. 5.

***) Hauber. bibl. mag. T. I, p. 101.

luncam alii alio tempore adfirment muro esse clausam: *) tamen quin probabile existimem, non possum a me impetrare. Arabes enim cum magiae fuisse deditos constet; cum Graecorum et Eclecticorum praecipue somnia sint amplexi, plurimisque magicis libris defenderint; cum denique infamem apud eos habitam hanc artem aut legibus cohibitam non tradatur: exstitisse ejus magistros, idque publice, a fide non est alienum. Nec movet me, quod de spelunca additur; omnis enim magia odit lucem, exercerique et doceri amat in locis obscuris, et a communi hominum usu remotis, quique publice eam scribunt traditam, nihil volunt aliud, quam exstitisse, qui docturos se eam profiterentur publice, seposito metu et verecundia. Quod denique monetur, haud constare sibi auctores in definiendo tempore, quo clausa sit spelunca, rem ipsam non attingit; et si his liceret uti argumentis, in omni rerum gestarum memoria nihil fere remaneret certi. Traditio denique et fama est satis constans, ut adhibere ei fidem liceat.

Sub Carolo M. sagae multae sunt combustae, et convivia nocturna forma splendidiori induta.

Magiam oppugnare legibus et conciliis, regnante Carolo Magno homines pietati deditі, et a superstitionibus aversi perrexerunt, **) eo tamen eventu, ut anno 914 sagae multae iterum comburerentur, ***) parumque adeo his omnibus efficeretur, utque haud ita multo post Joannes Sarisberiensis scribat: noctilucen quandam, vel praesidem noctis dominam, vel Herodiadem consilia et conventus asserunt convocare, varia celebrari convivia, ministeriorum species diversis occupationibus exerceri, et nunc istos trahi ad poenam pro meritis, nunc illos ad gloriam sublevari; praeterea infantes exponi lamiis, et frustatim nunc discerptos edaci ingluvie in ventrem trajectos congeri, nunc praesidentis miseratione rejectos in cunas reponi. †) En concilia et nocturna sagarum convivia, qualia a daemonographis seculis posterioribus fuse describuntur! Praeest iis adhuc Herodias, vel alia quaedam feminini sexus princeps, quam apud Augustinum supra vidimus; id modo additur, eam indicere concilia, et convocare striges; porro convivia ibi celebrari, coenisque vocatas excipi, poenas tandem et praemia pro cujusque meritis distribui. Haec aetas posterior videtur adjecisse mendaciis prioris; ubi enim semel mulierum credularum animos occupaverat persuasio de conciliis nocturnis, reliqua deinde ad exemplar vitae civilis sunt adjecta. Ut novi quid excogitaverat vetula auctoritate pollens, persuasit reliquis junioribus aut simplicioribus idem, indeque factum, ut omnes unguento magico peruncta somniarent idem, et in communem tandem sagarum persuasionem res abiret.

Arabum libri in Galliam allati magiam peregrinam docent.

Eodem, quo scripsit haec Joannes Sarisberiensis, seculo undecimo litterae, philosophia maxime, et disciplinae mathematicae, florere denuo coeperunt, cum uni antea dederant operam homines studio theologiae. Ad alias etiam disciplinas colendas eos excitavit maxime, quod lectis scriptorum ecclesiasticorum libris, dubia subnascerentur multa, et disputationes variae inde proficiscerentur, quibus solvendis et finiendis philosophia erat adhibenda, utpote e rationis humanae exercitio, id est, philosophia ortis. Cum autem non haberent, unde litteras profanas peterent illa tempestate, Galli inprimis, Britanni ac Germani; essetque Arabum eruditio fama per omnem fere Europam nota: in Hispaniam ad doctores Arabes concesserunt; cujus rei documentum est inter alia Gerbertus, ad summi deinde pontificis fastigium evectus. Hinc Arabum reportabant libros praecipuos, in latinum sermonem translatos, Aristotelem praeterea et Eclecticorum nonnullos, quibus

*) Baile Rep. aux quest. d'un provinc. ch. 37.

**) Franc. de Cautz de cultibus magic. I, c. 4. §. 121. sq. cf. Riegger de magia p. 46.

***) Ibid. §. 129. †) Sarisber. Polycratic. c. 2.



quibus maxime ducibus utebantur Arabes. Ab hoc inde tempore artes et superstitiones magicae novae in Galliam, Britanniam, Germaniam irruperunt, ut videre est e Canone concilii Toletani, cujus verba ita habent: non observetis dies, qui dicuntur Aegyptiaci, aut solis lunaeque cursum, qui has et quascunque divinationes, vel fata, aut auguria observant, (en astrologiam judiciariam hactenus iu occidentali Europae parte ignotam!) qui per numeros quosdam litterarum, et per Pythagoricam necyomantiam, aegrotantium vitam, vel mortem, vel prospera, vel adversa futura inquirunt, sive qui attendunt formalia scripta, et falso Danielis nomine intitulata, (en magiae medicae genus, quale supra e medicis Graecis et Latinis attulimus, ex horum libris ab Arabibus petitum!) qui aliqua pro domo facienda, aut propter conjugem copulandam, aut in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut pyctaciola pro quavis infirmitate scripta super homines vel animalia ponunt, aut magicis falsitatibus in grandinariis tempestatibus credunt — sciant se fidem Christianam et baptismum praevaricasse. *) Quantopere autem Arabes ob magiam habiti sint infames, argumento est idem Gerbertus, Sylvestri nomine postea insignitus, quem ob egregiam rerum mathematicarum peritiam magis quam scientiam (quae enim scripta reliquit argumenti geometrici, jejuna sunt), et Arabes magistros, magiae accusarunt sui aevi homines. **) Litterae novae omnium fere animos oculosque in se converterunt, indeque factum, ut seculo sequente philosophia altius caput extolleret, et tum seorsim, tum etiam theologiae mixta, ab Roberto Pullo, ab Alexandro de Hales, eorumque discipulis Alberto Magno, Thoma Aquinate et aliis, publice doceretur. Hi Arabes legerant diligentissime, iisque in explicanda Aristotelis mente tribuebant plurimum, ut post Aristotelem, Averroes, Avicenna, Avempace, Avicebron, utramque apud eos facerent paginam.

Magia tum philosophica, tum vulgaris ex his fontibus peti coepta.

Utrumque magiae genus, tum theurgicum seu mysticum, tum vulgare, hinc hauserunt. Ac alterum quidem theologiae mysticae nomine, allato in Galliam et verso in sermonem latinum Dionysio Areopagita a Joanne Scoto Erigena, ambabus a theologis haud paucis manibus fuerat arreptum; Hugone et Richardo de S. Victore id maxime tuentibus, quos Bonaventura deinde, philosophicum ei rursus induendo habitum, excepit. Alterum autem Albertus Magnus, Rogerius Baco, aliique receperunt in fidem; indeque factum, ut plurimi ea tempestate componerentur libri magici, hodieque magnam partem exstantes, Alberti M., Thomae Aquinatis, Rogerii Baconis, aliorumque inter scholasticos principum nominibus ornati. Quorum etsi plurimi sint suppositítii, omnes tamen ab impostoribus conscriptos, ut placet Naudaeo, ***) aut ab arte magica prorsus fuisse hos homines alienos, persuaderi equidem mihi haud patior. Fatetur enim Albertus ipse in libris de anima, magica sese experimenta fecisse, †) idemque in disciplinis physicis, et libris ad historiam naturalem pertinentibus, de sympathiis, antipathiis, astrorum influxu, magica multa et superstitiosa admiscet. Sunt autem horum libri hodie rarissimi, ut paucissimos inspicere mihi contigerit. Rogerii Baconis dissertationes aliquot vidi in Theatro chemico, nec quicquam tamen, quod sive sapientia sive stultitia prae ceteris emineret, ibi me deprehendere memini; ut nec credam facile, hominem, si quam habuit

*) Franc. de Cautz l. c. I, 4. §. 132. cf. Riegger diss. de magia p. 48. sqq.

**) Bruck. Hist. Crit. philos. T. III, p. 649.

***) Naudé Apol. des grands hommes p. 78, 80.

†) Albert. Magn. opp. T. III, de An. p. 23. Lugdun. 1651.

buit apud coaevos auctoritatem, suo, quod maxime spectandum est rerum gestarum scriptori, eam merito consecutum.

Hinc itaque factum, ut superstitiones etiam plebis, supra modum auctae, novam insuper induerent formam. Ac primo quidem loco doctrinam de pacto cum diabolo expresso scriptores seculi XIII. commemorant, ut e Caesario Heisterbacensi et Thoma Cantipratano docet Fr. de Cautz *), quorum hic affert exemplum de homine, diabolo sibi sub hominis specie apparenti pacto animam vendente, ibidemque de operationibus daemonum in varias species distinctorum, scilicet Neptunorum, qui in aquis, Dusiorum, qui in speluncis montium, Aereorum et Incuborum differit, qui super terram vagentur, cum mulieribus generent etc. Novae rei originem equidem arbitror fuisse hanc: docet religio Christiana, daemonas improbos nullam habere potestatem in eos, qui nomen ei dederunt, immo audito Christi nomine, aut signo crucis facto, protinus fugari. Quamdiu itaque religioni Christianae non renuntiatur omnino, nihil inde lucrantur diaboli, si cui opem ferunt, divitiis, honoribus, voluptatibus eum onerant; simul enim in mentem ei venerit redire ad Christum, omnis eorum opera redditur irrita: ut itaque hac ex parte sibi caverent diaboli, omnemque homini Christiano reditum intercluderent; pacto sibi expresso, et ad majorem fidem sanguine hominis firmato, promitti postularunt, eum Christo per totam vitam fore adversum, nunquam ejus opem deinde imploraturum. Persuaserunt itaque sibi homines, magiae dare se operam non posse aliter, nec cacodaemonem aliter sibi adfuturum, quam ubi pacto expresso Christum et religionem ejus abnegassent. Pactum cum diabolo.

Secundo loco sub idem fere tempus sagarum, de quibus supra diximus, concilia nocturna in alium etiam habitum sunt versa. Insignis est hac de re locus Alphonsi de Spina, qui inquirens in rationem, qua daemones illudunt feminis, quae Bruxae aut Kurgonae vocantur, haec subjungit: abundant tales mulieres perversae in Delphinatu et Vasconia, ubi se asserunt concurrere de nocte in quadam planitie deserta, ubi est aper quidam in rupe, qui vulgariter dicitur elboch de bitne, et quod ibi conveniunt cum candelis accensis, et adorant illum aprum, osculantes eum in ano suo. Ideo captae plures earum ab inquisitoribus fidei, et convictae, ignibus comburuntur. Signa autem combustarum sunt depicta, qualiter scilicet adorant cum candelis praedictum aprum. **) Qui hunc locum excerpsit Hauberus, documentum ibi fere antiquissimum et primum afferri conciliorum nocturnorum arbitratur, Augustini, ejus jam rei facientis mentionem, non recordans. Videtur autem locus non omni parte integer, quod enim narratur de apro a sagis adorato, insolens plane est, et a temporum seriorum consuetudine prorsus alienum. Porro aprum hunc elboch dictum perhibet, id est, ni fallor, germanice Bock, ut adeo apri loco caper videatur legendus. Id si substituamus, optime omnia, et inter se, et cum fabulis serioribus consentiunt; caprum enim fama constans est, adorare, capri anum osculari sagas in conviviis nocturnis. Scenam hinc intelligitur nonnihil immutatam; supra concilii principem vidimus feminam, Herodiaden, Dianam, aut alio nomine vocatam, cujus locum nunc tenet caper. Causam equidem hanc arbitror fuisse: excogitato sagarum concilio nocturno, mulierum ad voluptates ingenium pronum cibos principio et oblectamenta gulae his addidit, idque tum ventre Caper conciliorum nocturnorum praeses.

*) De Cautz de cultib. magic. I, 4. §. 133, 134.

**) Hauber, Bibl. mag. T. II, p. 423.

tre avido et vacuo, (sunt enim hujus generis mulieres inopes maximam partem, ipsa egestate ad infanda omnia stimulante,) sponte phantasiam his implente, tum astu de industria multis talia fingentibus, quo plures iisdem superstitionibus irretirent. Hinc facto initio, ad alias etiam sensuum voluptates ac libidines deinde sunt progressae, remotoque pudore concubitus etiam addiderunt, eique fini adhibuerunt caprum concilio praefectum. Caper autem ob id maxime videtur adscitus, quod de Satyris et Faunis audierant multa, quodque naturae propensione nescio qua, daemones capriformes amat humanum genus, unde factum, ut apud Chaldaeos, Judaeos, Graecos ac Romanos, in sylvis atque desertis locis habitare genios hircorum similes, hominum finxerit credulitas.

Amuleta aliaque id genus superstitiosa in scenam prodeunt.

Tertio denique loco, e medicorum, tum antiquorum, tum Arabum libris, producta iterum in scenam amuleta, phylacteria, formulae magicae morbis sanandis aut arcendis inservientes, in aliam formam transierunt. Cum enim eo nequirent homines adduci, ut abjicerent ista omnia, quorum auctoritas nimis altas in eorum animis egerat radices; cumque simul id a se non possent impetrare, qui religioni magis studebant, ut paganorum nomina Deorum profanorum adhiberent: his ejectis, alia e sacris litteris et Christianorum doctrina petita, caerimonias etiam religioni Christianae congruas, in eorum substituerunt locum; ita omnem sese effugere impietatem, conciliorumque minas graves rati. Multa hujus generis collegit Wierus, non additis, unde hausta sunt, quod doleo, fontibus; ea tamen aut omnia aut pleraque hac tempestate equidem arbitror excogitata. Contra epilepsiam hoc utebantur rhythmo:

> Caspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum.
> Haec tria qui secum portabit nomina regum,
> Solvitur a morbo Christi pietate caduco.

Nomina sunt haec, ni fallor, trium Orientis sapientum, seu magorum, qui Christum venere salutatum. Item, arrepta aegroti manu, in auribus immurmuretur: adjuro te per solem, et lunam, et hodiernum evangelium, a Deo traditum D. Huberto, Aegidio, Cornelio, et Joanni, ut surgas, nec in terram relabaris, in nomine patris, filii et spiritus sancti Amen. Ad haec ut sanguinis fluxus inhibeatur, in usu est: in nomine patris et filii et spiritus sancti, Chunrat cara sarite, confirma, consana, imaholite. Idem sepa † sepaga † sepagoga † sta sanguis, consummatum in nomine patris † podendi † et filii † pandera † et spiritus sancti † pandorica † pax tecum Amen. Serpentes, bufones, et quicquid venenosi fuerit in via, hac ratione fugatur: fit in terra circulus trina circuitione iis verbis: in nomine patris an † et filii elion † et spiritus sancti redion † pater noster. Hinc ter dicitur: super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem, trina circuitione. Tunc in circulo, quicquid fuerit allegatum, apparet. Contra canis rabidi morsum pani inscribitur: irioni khiriori essera kuder fere, inde voratur. Vel hoc scriptum in papyro aut pane, homini, sive cani in os inseritur: O rex gloriae Jesu Christe veni cum pace in nomine patris † max in nomine filii † max in nomine spiritus sancti † prex. Caspar, Melchior, Balthasar † prex † max † Deus ymax †. Non infimae sortis nobilem cognovi simili curationis ratione celebrem, qui pomi particulae inscribit, hax, pax, max Deus adimax, atque edendam illam venenato a cane rabido porrigit. Voces autem corruptae sunt ex ignoratione linguae latinae et litterarum, ubi forte is nobilis in schedula Germanica comperit ad ejusmodi curationem has valere voces, hoc † pro † me † Deus adjuvet †, cum crucibus interstinctas, uti fere in similibus superstitionum mysteriis fit: cruces

cruces ex affinitate X litteram esse ratus, hax, pax, max, Deus adimax legit, et in pomo exaravit. Similibus dialecticarum vocum portentis contra dentium dolorem utuntur: galbes, galbat, galles, galdat. Ridiculum quoque hoc appenditur scriptum: strigulī, falcesque dentatae dentium dolorem persanate. Aversus febrem quotidianam pomi tribus particulis seorsim inscribitur, uni increatus pater, alteri immensus pater, tertiae aeternus pater, easdem jejunus tribus diebus edat. Sin minus successerit, in pane missali inscribitur, o febrem omni laude colendam, in altero, o languorem sanitati et gaudiis adscribendam, in tertio pax † max † fax †, eundem aegrotus voret jejunus. Si nec hic modus juverit, denuo in pane dicto toties pingatur, pater pax † adonay † filius vitae † Sabaoth † spiritus sanctus † tetragrammaton †, quem tribus diebus, ut supra, mane absumat. Nec profecto hic praetermitti oportuit erucarum e brassicis abigendarum amuletum, in ducatu Montensi rhythmis Germanicis usurpatum in hanc sententiam: vobis dilectis erucis tam conveniat hic autumnalis esus, quam Mariae placuerit, ubi bibebatur edebaturque, nec Christi mentio erat, in Dei nomine Amen. Illud porro omnem superat stultitiam, quod quasdam voces cum imaginibus quibusdam coeli convenire plerique autument, et verba quaepiam cum solennitate prolata, mutare sensus hominum et brutorum, hinc in speculo consecrato videri imagines, hinc moveri feminas in amorem, hinc mutari elementa, terram varie affici, ignem ab ustione cessare, morbos curari. Cum primum Evangelii Joannis caput minutissimis litteris in schedula pictum et missae recitatione consecratum collo alligatur, mirum contra incantamenta et diaboli machinationes creditur esse amuletum. Periapta agnus Dei nuncupata consecrat Romanus pontifex contra noxios daemonas et quascunque eorum machinationes. Legimus Urbanum V. pontificem maximum misisse dono imperatori Graecorum tres agnos Dei cum versibus inscriptis:

Balsamus et munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, et omne malignum.
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, et angit.
Praegnans servatur, simul et partus liberatur.
Dona refert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus munde de fluctibus eripit undae.

Duces igitur gregis cum auderent talia, quid fecisse grex censendus? quantos pios prima specie religionis Christianae ad stultissimas superstitiones abusus invexisse credendi sunt sacerdotum et monachorum exercitus, augendae auctoritati suae, laicorum marsupiis exhauriendis unice intentus? Thesaurum porro sic inquirunt hi magi: virga avellana signata tribus crucibus conjuratur non modo superstitiose, sed etiam impie ac blaspheme. Adduntur characteres cum barbaris nominibus, et in fodiendo leguntur psalmi de profundis, missa misereatur nostri, Requiem, pater noster, ave Maria, et ne nos inducas in tentationem sed liberes nos a malo Amen. A porta inferi, credo videri etc. Expectate dominum, requiem aeternam cum oratione certa. Et si fodiendi tempus neglexeris, thesaurus tollitur a diabolo. Ut claustra aperiantur, in particula cereae baptismo designatae flores volubiles imprimuntur, liganturque in anteriore indusii parte; ubi reserare voles, ter inflabis, dicesque haec verba: arato hoc partiko, hoc maratarikin tuo nomine aperio hoc claustrum, quod infringere cogor, quemadmodum inferna confringis, in

nomi-

nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Pro defensione figura cum creta in terra notatur, et mirae affinguntur nugae, recitanturque psalmi et orationes, nec non Missae actus adhibentur, et in arbore clavus figitur ferreus, ut mille hominibus vel equis cinctus quis appareat, anniculus salicis ramus unico ictu abscissus usurpatur cum exorcismo, barbarorum nominum recitatione, et characteribus absurdis. Damnum alicui se inferre credunt hi male sani, si imaginem conficiant in ejus nomine, quem laesum cupiunt, ex cera virginea nova, sub cujus axilla dextra hirundinis cor locetur et hepar sub sinistra. Item collo appenditur filo novo effigies, quae acu nova in membro laedendo figitur, recitatione verborum, quae ob curiosos studio praetermittenda censui. Ea ex aere quandoque apparatur. — Ad atrocius malum similis imago adornatur in hominis forma, in cujus capite nomen certum scribitur, et in costis ea nomina, alif, cafeil, zaza, hit, met, mellat, leviatan, Ceuta tace. In Martis dominio duae parantur imagines, una cerea, altera ex hominis mortui terra, et ferrum, quo homo necatus fuit, traditur alteri imagini, ut alterius necandi simulacri caput transfigat. In utraque duo inscribuntur nomina et characteres seorsim peculiares, et certo altera reconditur loco. In mulieris amore conciliando conficitur in hora Veneris imago ex cera virginea in amatae nomine, cui character imprimitur, et circa ignem calefit, et inter agendum cujusdam angeli memoria in mentem repat. Ut tandem capillitio suspendatur nostro haec malefica et hujus nugatorii actus scena tragicum sortiatur exitum, apparatur effigies e terra capitis mortui hominis, in alterius baptisandae nomine, cui nomen cum charactere inscribitur, hinc osse putido suffitur, et inverso ordine leguntur psalmi, domine dominus noster, dominus illuminatio mea, domine exaudi orationem meam, Deus laudem meam ne tacueris etc. Deinde duobus diversis locis ea sepelitur. Easdem fere hic cernimus caerimonias, easdem res adhibitas in operationibus magicis, ossa mortuorum, terram e sepulcris petitam, imagines cereas, verba secreta, ignem, et characteres, quae ex Horatio, aliisque scriptoribus ethnicis supra sunt allata; id modo interest, quod pro vocabulis e profana religione petitis, nominibusque Deorum ethnicorum substituuntur verba e religione Christiana et sacris litteris petita. Adeo res ipsae semper manent eaedem, figurae modo, habitusque externi mutantur, id quod in omnibus generis humani opinionibus habet locum, ubi elementa primaque singularum stamina eadem semper manent. Haec adeo invaluisse hac tempestate nihil mirum, morbi namque rariores, quibusque singularia inessent, qualia sunt, quae oriuntur a vermibus, convulsionibus, spasmis, accepti ferebantur lamiis, magiae ac diabolo, his mederi ratione quam praescribit natura, sacrilegum habebatur, sacerdotes soli adjurationibus, manuum impositione, abigendos hos putabant. Commentum sane callidum, et stabiliendae ipsorum dominationi non minus, quam subigendae in perpetuum rationi humanae perquam idoneum! *)

Superstitiones aliae.

Priusquam hinc discedam, nonnulla adhuc sunt ex Wiero superstitionum documenta proferenda in medium. Inveniuntur, qui, cum scelus aliquod capitale admiserint, vel antequam subjiciantur quaestioni, vel interea dum torquentur, quorundam aut scriptura aut prolatione verborum consequi sibi videntur, ut tacere possint et nihil omnino sentire. — Utuntur his verbis ac versibus:

Imparibus meritis tria pendent corpora ramis,
Dismas et Gestas, in medio est divina potestas.
Dismas damnetur, Gestas ad astra levetur.

Sunt

*) Möhsen Geschichte der Wissenschaften in der Mark Brandenburg Th. I, p. 257. sqq.

Sunt qui verba prophetae eructent, eructavit cor meum verbum bonum, veritatem nunquam dicam regi. Alii autem hac prece se muniunt: quemadmodum lac beatae, gloriosae Mariae virginis fuit dulce et suave Domino nostro Jesu Christo; ita haec tortura sive chorda sit dulcis et suavis brachiis et membris meis. His omnibus subjungit tandem Wierus exempla aliquot, unde apparet, nonnullos reapse fidicularum et eculeorum non sensisse vim, ejusque rei causam arbitratur fuisse, tum quod cacodaemon intercluserit dolori aditum ad animum, tum quod soporiferis quibusdam medicinis sensum restinxerint. *) Harum equidem praetulerim ultimam, ut quae sola sufficit, maxime si addideris, non omnes eodem modo affici a doloribus, esse, in quos gravissimi cruciatus nihil possint; ut barbari Americani sunt documento, inter dolores vehementissimos ridentes, nec foedissimo corporis laniatu, ut vel unam emittant dolentium vocem, moti.

Plurima praeter haec alia congessit Wierus exempla, unde intelliges, omnes ferme gentilium caerimonias magicas relatas hac tempestate, ita tamen, ut religioni Christianae adaptarentur; cujusmodi est, quod de hydromantia aut divinatione per crystallum **) refert. Nolo tamen in his commemorandis esse prolixior, cum ex allatis satis jam superque appareat, qua ratione homines male feriati, et supra, quam quod credi potest, leves ac superstitiosi, religione etiam Christiana sint abusi.

Tria sunt ab hoc tempore genera magiae, quorum alterum nititur pacto cum diabolo; alterum astrologicis rationibus, sympathiis et antipathiis, rerum, verborum ac caerimoniarum inde derivata efficacia; tertium animi quadam purgatione, qua ad cernendos et alliciendos spiritus bonos redditur idoneus, ipsumque etiam ad Deum accedit. Qui secundum exercent genus, tertium quoque simul solent adhibere, nec accurate semper haec distinguere; qui tertio favent, secundum haud raro spernunt. Diabolica quae dicitur magia, cum hac tempestate viguerit maxime, de ea primo dicendum loco. Genera magiae tria.

Cap. XIV.

DE MAGIA AD NOSTRAM VSQVE AETATEM.

De sagis, quamdiu rara erant earum supplicia, haud multa audiebantur, pauca certe ad publicam perveniebant notitiam, ut litteris mandarentur; at ex quo judices et inquisitores constituti sunt, in immensum crevit earum numerus; quoque plures igni tradebantur, eo plures semper denuo emerserunt. Rei gestae ordo hic est: principio seculi XIII. Innocentius III. instituit haereticae pravitatis inquisitores, ut puram ab omni errorum labe, et sectarum dissidiis servaret ecclesiam Christianam, id quod laudabile prima fronte videbatur, ac forte ex mente auctoris, saluti universis debebat esse, re tamen ipsa nihil excogitari perniciosius, nihil humano generi pestilentius, potuit. Ut enim plantae, animalia, et quaecunque sunt in mundo corpora, vigent, et crescunt motu et agitatione continua; ita animus etiam hominum viget et alitur opinionum dissidiis, et disceptationibus, quibus sublatis, ad ignorantiam et barbariem relabi eum necesse est. Hi inquisitores primo a sagis abstinuerunt, judicibus eas ordinariis relinquentes puniendas, qui ex antiquo Romanorum jure, in lucem iterum protracto, eas judicabant. At medio ferme seculo XIV, inquisitores magiam inter haereses referentes, pertractis etiam in partes Juris- Magia diabolica.

*) Wierus de praestigiis daemon. V, c. 8. sqq.

**) Ibid. cap. 5.



Jurisconsultis, acerbius grassabantur contra sagas, multas igni tradendo *) eoque ipso superstitionem vehementer augebant. Gregorius namque IX. bulla hunc in finem publicata, Conrado Marburgensi potestatem indulsit pene immensam capiendi et comburendi, omnis generis, aetatis et ordinis haereticos, maxime autem, quos pepigisse cum diabolo, vidisse bufonem, virum pallidum, hirsum, esset suspicio. **) Id munus adeo acerbe exercuit Conradus, ut brevi ab hominibus in furorem actis caederetur. Sub finem seculi ejusdem magicarum superstitionum fama magnopere aucta, eaedemque libris et disputationibus vehementer defensae, Academiam Parisiensem exciverunt, ut decreto eas proscriberet omnes. ***) Operae est nonnulla inde huc transferre, quo magis perspiciatur, qualis hoc tempore ars magica fuerit. Erant, qui existimarent, non esse idololatriam, si pactum cum daemonibus inirent, tacitum aut expressum, quod negat Academia, †) adjiciens pactum implicitum esse in omni observatione superstitiosa, cujus effectus non debeat a Deo aut natura rationabiliter expectari. De eo magiae genere, quod verbis, aliisve rebus, statuit inesse vim daemonas cogendi, haec Academia decernit: quod Deus per artes magicas et maleficia inducatur compellere daemonas suis invocationibus obedire, error est; ††) quod conari per artes magicas daemonas in lapidibus, annulis, speculis, aut imaginibus, nomine eorum consecratis, vel potius execratis, includere, cogere et arctare, vel eos velle vivificare non sit idololatria, error est. †††) Quod sanguis upupae vel hoedi vel alterius animalis, vel pergamenum virgineum, vel corium leonis, et similia habeant efficaciam ad cogendos vel impellendos daemonas, error. *) Quod imagines de aere, plumbo, vel auro, de cera alba, vel rubra, vel alia materie baptizatae, exorcizatae, seu potius execratae secundum praedictas artes, et sub certis diebus, habeant virtutes mirabiles, quae in libris talium artium recitantur, error in fide, in philosophia naturali, et astronomia vera. **) Quod cogitationes nostrae intellectuales et volitiones interiores immediate causantur a coelo, et quod per aliquam traditionem magicam tales possunt sciri, error. ***) Quod unus daemon sit rex orientis, et praesertim suo merito, et alius occidentis, alius septentrionis, alius meridiei, error. †) De tertio denique magiae genere theosophico, iidem loquuntur theologi Parisini hoc modo: quod per quascunque artes magicas possumus devenire ad visionem divinae essentiae, vel sanctorum spirituum, error. ††) Quod Deus per artes magicas inducatur compellere daemonas suis invocationibus obedire, error. Quod thurificationes et suffumigationes, quae fiunt in talium artium et maleficiorum exercitio, sint ad honorem Dei et ei placeant, error et blasphemia. †††) Quod verba sancta et orationes quaedam devotae et jejunia et balneationes et continentia corporalis in pueris et aliis, et missarum celebratio, et alia opera de genere bonorum, quae fiunt pro exercendo hujusmodi artes, excusent eas a malo, nec potius accusent, error. *) Quod sancti prophetae et alii sancti per tales artes habuerunt suas prophetias, et miracula fecerunt, ac daemonas expulerunt, error. **) Quod Deus per se immediate, vel per bonos angelos talia maleficia sanctis hominibus revelave-

*) Fr. de Cautz. de cultibus magicis I, 4. §. 136. sqq.

**) Semlers Briefe über Gassnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen, Stück I, p. 60.

***) Creviez Histoir. de l' un. de Paris T. III, p. 190. de Cautz ib. §. 144.

†) Determinatio Parisiis facta super quibusdam superstitionibus noviter exortis praefixa Bodino de daemonomania art. 3.

††) Ibid. art. 9. †††) Ibid. art. 4. *) art. 20. **) art. 21.

***) art. 27. †) art. 25. ††) art. 28. †††) art. 9, 10.

*) art. 12. **) art. 13.

velaverit, error. *) Haec, de magia theosophica quae addunt theolog. Parisini, inserenda huic loco censui, quod maxime hinc apparet, eandem fere, quae deinde libris multorum est celebrata, magiam sublimiorem, ut vocant, hac jam tempestate viguisse. Qui de ea exstiterunt tunc libri, et unde ea hauserunt ejus patroni, fontes, aut perierunt, aut in angulis bibliothecarum delitescunt ita, ut ad publicam non pervenerint notitiam.

Sagae idololatriae poenam subire jussae.

Sed redeamus ad sagas. Postquam consensu theologi, magiam inter idololatriae et haeresium genera numerarunt; sibi eorum communem coeperunt cognitionem vindicate; cui rei adjumento fuere ipsi etiam monachi, et ecclesiastici ordinis alii, impense nimis hujusmodi artibus studentes, eoque ipso pontifices maximos ad eas inhibendas excitantes. Anno post Chr. natum 1474. Sixtus IV. hos homines, quos tantae, ait, fuisse temeritatis, ut veriti non sint, disputando et praedicando asserere, non esse haereticum et a fidei puritate alienum, daemonum expectare responsa, brevi contra eos misso, compressit. **) Nihilo tamen secius in dies crevit labes, ad pluresque manavit, id quod fieri per rerum naturam aliter vix poterat. Quo enim acrius insurgunt leges et poenae contra opinionem multorum animis infixam; eo majora haec capit incrementa, eoque altiores agit in hominum animis radices; hinc sectae omnes, quo premuntur magis et urgentur, eo magis vigent et aluntur, neglectae vilescunt. Accedebat, quod odium, ira, invidia, quaeque sunt his affinia, multos pertraxerunt in judicium innocentes, unde major longe vero apparebat labes mali. Denique quod imaginarium est totum, in eo summa semper est fingendi licentia, nec certis unquam limitibus potest includi; ubi itaque semel accusandi potestas esset facta reis, iique quibuscum sese somniassent fuisse in conciliis sagarum nocturnis, nominassent: reorum numerus in immensum non potuit non augeri. Inquisitores itaque impares sese tanto malo cernentes, ni publica pontificum et principum munirentur auctoritate, ab Innocentio VIII. denique impetrarunt bullam, anno 1484, qua inquirendi ipsis in sagas conceditur potestas, quamque duobus annis post Maximilianus I. Romanorum imperator habuit ratam. Quo semel facto non defuerunt sibi inquisitores, editoque infelici libro, cui maleficarum mallei fecerunt titulum, esse revera magiam diabolicam, multis exemplis ferunt demonstratum, et qua ratione versari in hac impietate exstinguenda statuissent, ibidem docuerunt. ***) Rogi statim per totam accendebantur Germaniam, ubi plurimam saeviendi nacti erant inquisitores auctoritatem, multaque miserarum anicularum millia passim comburebantur.

Nec defuere tamen, qui anicularum suscipiperent patrocinium.

Nec defuere tamen, qui ei sese furori opponerent viri cordati, haud levibus tamen ob id ipsum poenis affecti. Ante publicatum enim maleficarum malleum, magistratus, verbique divini ministri, numero haud exiguo bullae sunt renisi, quibus compescendis et ad silentium redigendis malleus est conscriptus. †) Ulricus enim Molitoris a. 1489. edidit libellum de lamiis et phitonicis mulieribus, in quo superstitioni de diabolo sagas adjuvante,

*) Determinatio Parisiis facta super quibusdam superstitionibus noviter exortis praefixa Bodino de daemonomania art. 14.

**) Fr. de Cautz. de cultib. magic. I, 4. §. 145.

***) Ibid. I, 4. §. 145. sqq. Riegger diss. de magia p. 60. sqq

†) Hauber, bibl. mag. I, p. 26.

vante, haud satis tamen aperte et subtimide, obviam itur. *) Nec tenere tamen sese potuere viri boni, miserae plebis miserti, quin haud ita multo post malleum publici juris factum, negarent vetulas esse magas, aut ullam dari magiam diabolicam. Laude haud exigua propter haec ornandus est Joannes Wierus, qui sub seculum XVI. egregio libro negavit, vetulis esse ullam cum diabolo familiaritatem, totum id deberi phantasiae muliebri, et credulitati virili. Hunc excepit paucis annis post Reginaldus Scotus, alte in inquisitorum artes, quibus ad perdendas utuntur mulierculas, penetrans, eorumque acute retegens avaritiam, pravam denique et ad perniciem innocentiae excogitatum quaerendi methodum. Haud ita impune abiit Cornelio Loosio negata vetularum magia, comprehensus enim jussu nuntii Apostolici et in carcerem conjectus, palinodiam tandem turpem canere est coactus. **) Hi pugnare pro anicularum innocentia contenti, impietatis praeterea metu cohibiti, (sacrae enim litterae stare a magia tum temporis existimabantur) artem ipsam non sunt ausi negare. Visis eorum libris, gregatim in eos consurrexere magiae patroni, veriti forte, ne, quod evenit, erepta sibi parte, totum deinceps e manibus extorqueretur; lamias itaque foedus iniisse cum diabolo, ejusque auxilio piis nocere, summo studio contenderunt. Horum primi forte fuerunt Jacobus Vallik et Lambertus Danaeus, quorum libri junctim prodierunt 1576, tractatus de magis titulo. Vallik multa jubet pentacula, aliaque ex herbis composita, ut a lamiarum insultibus simus tuti, adhibere. ***) Hos excepit, ni fallor, Joannes Bodinus, qui libro de magorum daemonomania a. 1581. edito, corrasit undique quae ferebantur, nulla probabilitatis habita ratione. Inter Scoti adversarios eminet prae ceteris Jacobus I. Angliae rex, cujus daemonologia acerbe dicitur invehi in Scotum. Opem his tulerunt paucis annis post Pererius in libro de magia, Binsfeld in libro de confessionibus magarum; adversarium nacti Gödelmannum, cujus liber de magis, veneficis, sub idem tempus prodiit, praecipuaque illorum argumenta evertit. Sat magnus praeterea est numerus eorum, qui seculo eodem in utramque hac de re partem disputarunt; sunt autem libri rariores, nec ubique obvii, unde spes mihi fit, fore ut gratiam mihi faciat Illustris societas regia, si parciorem me in his enumerandis animadvertat. Seculo sequenti inter magiae propugnatores eminet Debilo, qui libro, cui disquisitionum magicarum fecit titulum, anno 1606. edito, ad examen omnia aliter sentientium argumenta revocavit adeo prolixum, ut vel ipsa libri mole ea videatur obruisse. Plures deinde Wierus et Scotus nacti ejusdem sententiae propugnatores, triumphum tandem bonae causae pepererunt; cui rei adjumento praecipue fuit philosophia melior emergens, et experientiae magis quam inanibus verborum tricis fidens. Scholastici enim quanquam magnam partem haud magnopere faverent magiae, negare tamen prorsus eam non audebant, philosophiae Eclecticae sive Neoplatonicae amore praepediti. Sub finem seculi XVI. philosophia liberior, ad experientiam omnia revocans, caput in Gallia ducibus Gassendo et Cartesio, in Britannia Baconis et Hobbesii opera, coepit extollere, unde factum, ut plures undique magiae bellum inferrent. In his eminent Tandler edita dissertatione de fascino et incantatione 1605; Spee scripta cautione criminali in processibus contra sagas, ubi acute docetur, qua ratione fidiculae cogant aniculas, quae facta nunquam sunt, fateri; Thomas Ady, cujus discursus de magis et magia prodiit 1656.

Hos,

*) Hauber. bibl. mag. I, p. 47.

**) De Cautz de cultib. magicis I, 4. §. 46.

***) Semler Sammlung von Briefen über Gassnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen Stück I, p. 47. sqq.

Hos, praeter Speum, videre mihi non contigit. Neque his tamen omnibus ad silentium redigi sese magiae diabolicae patroni passi, siquidem Mericus Casaubonus in demonstratione dari spiritus, sagas, 1673. edita, et Glanvil in Sadducaeismo triumphato, refellere eos studuerunt. Horum, ut et aliorum hac tempestate in utramque partem disputantium, libros inspicere mihi non licuit. Postquam autem philosophia Cartesiana vicit, et post eam Wolfiana, mechanicis utraque nitens fundamentis, et ex figuris, magnitudinibus, motibus corporum, omnium, quae fiunt in corporibus, repetentes causam, rideri coepit et contemni magia diabolica, ad infimam inde plebem, unde emerserat, iterum detrusa, apud quam in vicis et pagis a magnarum urbium commercio sejunctis hodieque motus nonnunquam ciet. Luthero, quique primi religionem purgare sunt annisi, nulla hac in re laus debetur, ut perperam solent sibi homines persuadere, siquidem Lutherus et Melanchthon ab his superstitionibus animos satis nondum liberarant. *)

Chr. Thomasius felici successu sagas defendit.

Ac principio quidem, qui contra disputabant, ut solet, vix audiebantur, deinde alii, iisdem insistentes vestigiis, majora effecerunt. Wierus et Scotus oppressi brevi opinione communi jacuerunt, nec quicquam fere dignum memoratu ad salutem miserarum anicularum effecerunt; sed Spee eum secutus, edito libro, cui cautionis criminalis fecit titulum, ut aliquibus in locis tollerentur magarum quaestiones, pervicit. Idem Britannia debet Webstero, cujus inquisitio in magiam prodiit a. 1673, ubi accurate inquirendo in omnia, quae hac tempestate ferebantur de lamiis, quaeque aut in Britannia aut in America erant gesta, fraudes plurimas detexit, ad oculumque demonstravit, mendaciis, credulitati, malitiaeque cuncta ferri accepta. Nactus haud ita multo post Hutchinsonium est adjutorem, a quo tentamen historicum de Magia est editum. His successit in Belgio Balthasar Bekkerus, Cartesii assecla, cujus liber, mundi fascinati titulo insignitus, dici vix potest, quantos excitarit strepitus. Negat Bekkerus spiritus posse corpora movere, quin eo nonnunquam videtur progredi, ut diabolum nihil omnino posse affirmet. Aegerrime tulerunt theologi haud pauci, eripi sibi diabolum, existimantes forte, eliminato hoc terriculamento plebeculam se non cohibituros, fontemque inexhaustum eloquentiae et παθους iri occlusum. Litem super ea re motam brevitatis causa tacitus praetereo. Quanquam autem Bekkeri argumenta reapse parum habeant roboris; id tamen boni ejus inest libro, quod fraudes haud paucas, quarum testis fuit auctor, subtiliter et ex vero aperit. Horum omnium, nec non philosophiae liberioris ac sanioris opera, effectum tandem est, ut lamiarum supplicia magis magisque abolerentur, et magia diabolica ex urbibus in vicos et pagos cogeretur migrare. Omnes denique funditus sustulit Christianus Thomasius, cujus de crimine magiae dissertatio, tantum excitavit inter omnes tumultum, tot litibus dedit ansam, ut in manus perveniret etiam eorum, qui legere raro solent libros, in Academiis, aut ad inquirendum serio in aliquam rem scriptos. Qui factum sit, ut Thomasii libellus tantos excitaret strepitus, haud injuria inquirens Hauberus, id putat esse in causa, quod praeter alia orthodoxis haud magnopere grata, diabolum vi aperta sit aggressus, nihil illum posse, nulli rei efficiendae eum esse idoneum, quaecunque de eo ferantur, ficta esse omnia, asserendo. Quod autem subjicit, diabolum ipsum hos clamores effecisse, ut opprimeret Thomasium, simplicitati horum temporum videtur condonandum, quae ne-

 scio

*) Semler Sammlung von Briefen über Gaßnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen, Stück I, p. 276. sqq.

scio quem stolidum et vecordem fingit diabolum, quasi tot seculorum decursu nondum didicisset, e re neglecta et oblivioni tradita nihil unquam magni proficisci. *) Sunt tamen et alia, quae famam rei haud parum auxerunt: disputax et pugnax Thomasii ingenium, multos ei ut inimicos, ita ex altera parte famae celebritatem ingentem comparaverat; unde invidorum deinde cohors haud exigua ei conflabatur. Hi omnes, simul impingere in Orthodoxiam cernerent Thomasium, facilem sibi victoriam rati, omnesque in eum consurrecturos theologos, omni virium contentione, faucibusque quam poterant latissime diductis, inclamarunt. In Thomasio est insuper id magnopere laudandum, quod superstitioni intulit bellum, curandis in linguam Germanicam verti libris Hutchinsonii, Websteri, Wagstastii, qui praestantissimi jure habentur. Nihilo tamen secius haud multis abhinc annis extollere superstitio plebeja caput iterum coepit, sparsis in vulgus de Lohmannia virgine obsessa, aliisque id genus fabulus miris; quam tamen Semlerus V. Cl. in libro, cui titulum fecit Abfertigung der neuen Geister, summo acumine repressit. **) Quin Antonius etiam de Haen, quod maxime mireris, magiae diabolicae agere causam non erubuit ***), argumentis sat validis Vbbidentis dell' Osa, St. André, aliorumque nihil motus. Quo ipso intelligitur, Thomasii aliorumque argumenta gravissima in iis Germaniae partibus, quae religionem sequuntur catholicam, ad animos non penetrasse; id quod docent etiam quae nuperrime sunt ibidem gesta. Anno enim 1766. Buchlohae rogo traditus est homo superstitiosus, a judice haud minus superstitioso, quod tempestate artibus magicis excitata deambulantem madefecisset. †) In Helvetia nuperrime lamia supplicium est passa.

Feruntur et principes exercuisse magiam.

Prius tamen quam pontifices summi vi aperta aggrederentur artes magicas, immo post institutam etiam inquisitionem, dici vix potest, quam late serpserit. Numerabantur inter ejus patronos et cultores non plebeji modo aut doctores umbratici, sed imperatores, reges, aliique, quos ad summum rerum humanarum fortuna fastigium evexit. Fridericum II. imperatorem seculo XIII. magicas dicunt artes exercuisse. Post inquisitionem dediti ei fuisse dicuntur Rudolphus II, Carolus V, ††) et ante hos Maximilianus I, magistro usus Joanne Trithemio, studiosissimo magiae defensore. †††) In Gallia Catharina Medicea impense magis favit. *)

Sagarum ritus.

Magiae diabolicae quo accuratius cognoscatur indoles, commemoranda jam sunt, quae de magorum et sagarum conciliis, de pacto, aliisque huc pertinentibus, litteris sunt mandata, qua in re Bodino, qui plurimum congessit, brevitatis causa, utor auctore. De concilii principe haec a sagis solebant narrari: hunc aliae hircum dicebant esse, cujus podici oscula essent infigenda, salutandi causa; aliae, virum principis amictu magnificentissimo ornatum; aliae pecudem; aliae diabolos humana forma; hircus tamen saepissime comparet. Simili modo variant in ratione, qua venitur ad hoc concilium: plurimae unguento ante usas se fatentur; sunt, quae negent opus esse unguento; quo perunctas aliae

*) Hauber. bibl. mag. II, p. 765. sqq.

**) Conf. Eberhard Abhandl. über die Zauberey in Semlers Sammlung von Briefen über Gasnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen, Stück II, p. 178.

***) Contra hunc disputat Eberhard l. c. p. 181. sqq.

†) Möhsen Gesch. der Wissenschaften in der Mark Brandenburg, Band I, p. 407.

††) Bayle reponse aux questions d' un Provinc. ch. 38.

†††) Fr. de Cautz de cultib. mag. I, 4. §. 149.

*) Bayle l. c.

aliae a diabolo narrant per aerem transportari sese, aliae in baculo se equitasse, aliae hircis, aliae pegaso, aliae scopis esse vectas. Nec minor est sagarum et magorum dissensio in ipsa convivii ratione: alii, simul ad coetum accesserint, epulas jam adesse; alii, salutato principe saltare omnes, post saltationem coire omnes cum diabolis, tum demum epulari, facto convivio domum discedere; alii, post saltationem hircum igne absumi, de cujus cinere singulos capere, nulla epularum mentione facta, narrant. *) Eodem modo in aliis etiam, quae pertinent ad concilium istud, variant; quae exsequi nil attinet. In ecstasin sese abripi plurimae magarum fatentur. **)

Transeamus ad magiae philosophicae ac theosophicae genus alterum. Scholastici aetatis secundae, magia omni ab Academia Parisiensi inter haereses et impietates relata, nec audentes ab ejus discedere decretis, prorsus ab ea abstinuerunt, altumque de ea est apud eos silentium. Renatis autem seculo XV. litteris, et Mediceorum liberalitate invitatis in Italiam Graecis, capta Constantinopoli extorribus, magia philosophica caput iterum extulit. Fuit namque inter primos ejus propugnatores Marsilius Ficinus, qui Platonem quanquam cuperet unum videri se sequi, more tamen ejus aetatis Eclecticis magis, quam ipsi favebat Platoni. Is edito Platone, ubique Alexandrinorum de magia et accessu ad Deum inculcat sententias, magno conatu magicas artes defendit, eum in finem edito etiam Plotino et Jamblicho de mysteriis Aegyptiorum, cui ex aliis ejusdem farinae scriptoribus excerpta adjecit; scripto etiam de vita coelitus comparanda libro, ubi Platonicorum nugae omnes magnopere, sub ingentum mysteriorum titulo, defenduntur. ***) Hunc itaque magiae philosophicae antesignanum, primumque auctorem jure ausim affirmare. His jungebat Ficinus astrologiam quoque divinatricem, astrorumque in omnia haec inferiora potestatem, ut videre est ex ejus libro de vita coelitus comparanda. Iisdem superstitionibus favebant etiam, qui ab Arabibus sua hauserant, medici maxime, unde factum, ut nihil per totam hanc aetatem esset astrologia potentius, praesideret in consiliis principum astrologia, adhiberetur lectis aegrorum astrologia, consuleretur in agris colendis, aliove quocunque negotio astrologia, nec obesset ei, si plurimi ejus innotescerent errores. †) Quo referendum inter alia, quod simillimum est rei nuper apud nos gestae, vaticinium Stöfleri astrologi gravissimi de totius Europae inundatione a. 1524. eventura, quod dici vix potest, quot quantaque ridicula prae timore homines coegerit perpetrare. ††) Opem tulit ei haud ita multo post Joannes Reuchlinus, qui, cum de mysteriis philosophiae occultioris apud Graecos scriptores multa legisset, essetque praeterea Hebraice doctissimus, eruturum tandem sese ea ex Hebraeorum libris Cabbalisticis, quorum summa fertur antiquitas, sibi persuadens, philosophiae Cabbalisticae operam navavit, cujus ope mira multa posse patrari, et ad accuratissimam rerum omnium perveniri cognitionem, libris de verbo mirifico et arte Cabbalistica editis, conatus est demonstrare. †††) Sub idem fere tempus utramque disciplinam Eclecticam et Cabbalisticam copulavit Joannes Picus Mirandulanus, qui miris laudibus extollens Cabbalistas, multaque de summa disciplinae tum antiquitate, tum origine sacra jactans, multos in rei novae admira-

Magiae philosophicae ac theosophicae propugnatores.

*) Bodin. Daemonom. II, c. 4. **) Ibid. II, c. 5.

***) Bruck. Hist. Crit. Philos. T. IV, p. 1. pag. 49.

†) Möhsen Geschichte der Wissenschaften in der Mark Brandenburg Th. I, p. 408. sqq.

††) Ibid. p. 410. sqq. †††) Bruck. Hist. crit. Philos. T. IV, p. 1. pag. 358.

mirationem, ut solet, rapuit. *) Copulatae semel disciplinae, naturae quadam cognatione junctae, ex uno dubio procul fonte manantes, solo habitu a se invicem diversae, in amicitia et foedere manserunt deinde, ac philosophiae unius habitu indutae ad posteros sunt propagatae a Franc. Georg. Veneto, apertius jam de haurienda e Deo omnium rerum accuratiore cognitione, spernendisque humanis adminiculis disputante. **) Quae per ambages, ne riderentur metuentes, docebant antiquiores, summa orationis tandem libertate, et seposita verecundia omni, profitetur Henricus Cornelius Agrippa. Is editis de philosophia occulta libris, magiam defendere conatus, quaecunque apud Platonicos, Cabbalistas, Arabes, Scholasticos legerat, operose congessit, theosophiam, astrologiam, verborum et amuletorum efficaciam defendit, et quo magis litterae omnes aliae prae theosophia contemnerentur, hujusque super omnes emineret splendor, in libris de incertitudine et vanitate scientiarum, in disciplinas omnes summa acerbitate, argumentorum pondere exiguo, saepe nullo, invehitur. Infecerat Agrippam his opinionibus Trithemius, astrologiae ac magiae deditus vehementer, ut videre est ex ejus de undecim sophorum sigillis et imaginibus, nec non de daemonibus libris, mihi ob raritatem nunquam visis. Multa insuper de atro Agrippae cane, comite ejus perpetuo, et genio simul familiari, vulgus, ut solet omnia hominum artibus studentium secretis augere in majus, aut odio stimulatum fingere, stupenda, at ex accuratioris philosophiae decretis falsissima, ferebat. Hos seculo XVI. secuti inter Britannos Theophilus Gale, Rudolphus Cudworthus, Henricus Morus, quorum Morus praecipue eandem cum Agrippa ingreditur viam, ceterum multis post se Agrippam parasangis relinquens, et ingenii acumine, exceptis Cabbalistarum somniis, eum superans.

Theosophi recentiores.

Sordere seculo XV. litterae hactenus traditae hominibus coeperunt, nova omnia, inaudita, mira cupientibus, et ad spem nescio quam erectis, fore ut omnium rerum conversio efficeretur, et universi totius facies mutaretur. Fuit nulla ferme aetas vaticiniis et revelationibus magis referta; cumque plurimos rerum praesentium taederet: brevi adfuturum mundi finem, clamabant omnes. Horum alii sanctitate vitae adeptos sese vaticinandi donum existimabant, alii divinatione per numeros Cabbalistarum instar utebantur, immo viri cetera eruditissimi infici sese his nugis patiebantur. ***) Hi omnes, quorum etiam libri magnam partem exstant, documento sint nobis, ne quis temere agendo prophetam risui sese exponat, aut prophetis recentioribus fidem habeat. Invasit eadem haec, antiqua spernendi, nova omnia invehendi cupiditas, primum inter medicos Theophrastum Paracelsum; cui cum in arte medica et chemica nonnulla prospere cessissent, essetque accuratiorem medicamentorum quorundam cognitionem adeptus: omnia jam vertere sese posse ratus, strepitu ingenti, jactantia haud minori et mentiendi impudentia, theosophiam eique conjunctam magiam, cum astrologia, aliisque nugis horum similibus, propagare est aggressus. Is Pythagoram, Apollonium Tyaneum, Jamblichum, quique alii exstiterunt inter antiquos, fraudum architectos imitatus, mira de se jactavit, iisque, cum in sanandis quibusdam morbis, hactenus multum medicis negotii facessentibus, magna polleret dexteritate, fidem apud homines paullo rudiores, et in ejus admirationem coeco impetu abreptos, fecit, ut nihil fere non posse efficere ab his crederetur. Quo ipso factum, ut nulli plura debeat theosophia ac magia philosophica, sitque etiam hodie inter

*) Bruck. Hist. crit. Philos. T. IV, p. I. pag. 55. **) Ibid. p. 374.

***) Möhsen Geschichte der Wissenschaften in der Mark Brandenburg Band I, p. 426. sqq.


inter praecipuos earum artium ſtatores. Scripſit Theophraſtus hic Bombaſtus multa, oratione adeo incompta, rudi, obſcura, argumentis adeo levibus, ut, niſi opinio praejudicata ingentem ſub his latere ſapientiae theſaurum hominibus perſuaderet, ad nugas aniles et ſermones ruſticorum jamdudum maxima librorum ejus pars eſſet detruſa. Exſtant Theophraſti de Pygmaeis et Salamandris libri, ubi nova ſpirituum genera in lucem protrahuntur; de arte praeſaga, de ſagis et earum operibus, de philoſophia occulta, de philoſophia ſagaci, de ratione omnis aſtronomiae, archidoxis magica, in quorum ultimis de Taliſmanibus ad varia morborum genera fabricandis prolixe diſſeritur. Reportaverat miram hanc ſapientiam ex Oriente et Africa Paracelſus, ubi cum chemica et medica didiciſſet ſecreta, e paucis ut ſolet aeſtimans omnia, Arabum Platonicos ſequentium ſuperſtitiones cunctas, nutrimenti inſtar optimi, ore hianti, animoque ad credendum prono excepit, nihilque medicum poſſe ſine aſtrologia deinde docuit. Florebant namque Arabes hac tempeſtate ſumma medicae artis, chemiae, et aſtrologiae laude, ut niſi qui hos adiiſſet, poſſe in arte ſalutari excellere putaretur. Hinc factum, ut poſt Paracelſum, quicunque eandem affectabant celebritatem, opus ſibi eſſe magia credentes, praeter Arabiam et Africam, alias etiam regiones magicis artibus celebres, Sueciam, et Lapponiam, Saxonis Grammatici et Olai Magni fabulis ſplendidis ad ſummam evectas celebritatem, ſibi judicarent adeundas. *) Gloriabatur Paracelſus, ſeſe numinis ſummi inſpiratione cuncta didiciſſe, ut ſolebant ante eam Lullius, aliique. Haud longo poſt Paracelſum intervallo artibus iisdem inclaruit Leonhardus Thurneiſſerus, quo utebatur medico Joannes Georgius Elector Brandenburgicus, 1571, iisdem ferme itineribus, artibus, ejusdem argumenti libris celebritatem adeptus. Is magus itidem habebatur **), inſpiratione divina omnia ſe didiciſſe gloriabatur, ***) in rebus, quibus incantationis aliquid ſubeſſe ſuſpicio erat, conſulebatur †), divinationes aſtrologicas litteris mandabat, artemque eam libris hunc in finem ſcriptis vehementer commendabat, ††) fabricandis taliſmanibus operam dabat, †††) verbo, ſuperſtitionibus magicis totus erat infectus. Hinc factum, ut mira de eo apud plebem ſpargerentur, cum tribus monachis atris eum coenaſſe, diabolos cryſtallo habuiſſe incluſos, avem aquae merſiſſe, quam piſces cinxerint natantes, et quae ſunt alia. *) Haec tamen cuncta demtis mendaciis redeunt huc, diabolos eſſe ſcorpiones oleo inditos, avem vitrea incluſum cavea, in aquam fuiſſe merſam, vitro ab hominibus ſtolidis non animadverſo. **) Sub ſeculi XVI. finem eadem theoſophiae fama inclaruit Jacobus Boehm, philoſophus Teutonicus κατ᾽ ἐξοχὴν dictus a ſectatoribus, quaſi nullum tuliſſet, quo glorietur, praeter hunc, Germania philoſophum, eſſetque prae eo ipſe etiam Leibnitius nullus. Hic aſſeveratione ingenti, ad Dei ipſius admiſſum ſe intuitionem, affirmat, quin eo progreditur ſaepe inſaniae, ut qui ſe non ſequatur, fidem ſibi non habeat, aut ridere etiam ſublimis ſapientiae myſteria audeat, cum igne aeterno iri conſumtum, jurato affirmet, et miſſum ſeſe a Deo ad generis humani ſalutem glorietur. Utitur praeterea orationis genere incondito adeo et obſcuro, ut uno plus Oedipo ei ſit opus. Imbecilles et meticuloſos multorum his artibus animos cepit, quibus vel ipſis litteris ſacris

*) Möhſen Beyträge zur Geſchichte der Wiſſenſchaften in der Mark Brandenburg, Thurneiſſers Leben p. 34. ſqq.

) Möhſen l. c. p. 39. *) Ibid. p. 66.

†) Ibid. p. 96. ††) Ib. p. 132, 133. †††) Ib. p. 134.

*) Ib. p. 183. **) Ib. p. 184.



eris Boehmii libri habentur praestantiores. Ceterum, qui in philosophorum opinionibus non plane est hospes, nihil eum afferre novi, aut quo intima rerum natura magis recludatur, hausta esse omnia ex Cabbalistarum et Platonicorum somniis, facile intelligit, admistis modo vocabulis chemicis, ad tegendam fraudem, ut adeo magnifica Boehmii sapientia, profundaque cognitio rerum, in inanes tandem fumos, verborumque praestigias abeat. Boehmium inter Britannos secutus est Jo. Pordage; philosophiam theosophicam post eum propagarunt Helmontus, Petrus Poiret, aliique quorum nomina sunt obscuriora.

Fratres roseae crucis.

Cum itaque multi passim degerent theosophiae asseclae; in eum tandem principio seculi XVII. res sunt deductae locum, ut de societate inter se ineunda, foedereque jungendo cogitarent, quo magis excoleretur id philosophiae genus, et ad culmen tandem perduceretur. Id quod libro J. Valentini Andreae, cui titulum fecit confessionis fidei fraternitatis Roseae crucis, est effectum. Narrat confessio, esse philosophiae genus aliquod arcanum, societati cuidam traditum servandum a Fratre Rosenkreutz qui peragratis multis regionibus, et philosophis genuinis in Arabia, Libya, et ubicunque degerent, aditis, miram ac profundissimam rerum cognitionem inde reportarit; invitari ergo omnes, ut hujus thesauri fierent participes. Ad alliciendos autem credulos, superstitiosos, et fanaticos quoscunque, inflatis quam maxime potest buccis addit: aurum, argentum, ceterasque opes vilipendere societatem, esse ei ingentes auri argentique acervos, unde et principibus queat largiri, quantum voluerint, omnia enim metalla sese posse vertere in aurum purissimum; porro quae magi vulgares maximi facerent, familiaritatem cum spiritibus, aliaque miracula, levia a societate existimari, adspirare eam ad longe majora, accuratam rerum omnium et abditissimarum cognitionem, scientiarum omnium restaurationem, humani generis emendationem, Deique ipsius contemplationem. Hac promissorum magnificentia capti haud pauci, nomen sectae dederunt, indeque factum, ut hodieque magna sit ejus societatis auctoritas, omniumque bonorum existimetur finis, si cui contigerit horum secretorum fieri participi. Hi sunt, ni fallor, maxime, qui magiam, alchimiam, theosophiam hodie magno conatu, ingentique librorum quotidie prodeuntium numero defendunt, qui fabulas fere omnes et mysteria, ne a ipsis quidem intellecta, in scenam referunt; qui libris ipsa nocte obscurioribus, quod superest sensus communis et sanae rationis pessundant; qui philosophiam, tot seculorum laboribus elaboratam, et ad fastigium haud spernendum adductam, calumniantur, et in odium ac invidiam adducunt; qui, si fuerint superiores, quod Deus avertat, omnem tandem sensum communem, Eclecticorum apud Graecos et Latinos exemplo, funditus delebunt, literasque omnes accuratiores exscindent. Vidimus hujus rei documenta admodum illustria anta 14 annos, Gassnero et Schroepfero a partibus duabus Germaniam aggredientibus, altero miraculis et exorcismis, altero magia et theurgia, in finem tamen eundem, ut temere quasi evenientibus his, eo magis perverteretur sensus communis, foras ejiceretur ratio sana et philosophia. Quibus exulatum missis, quocunque liberet, sperabant sese impulsuros homines, id est, ni fallor, in ovile religionis Catholicae, siquidem et Schroepferus catholicum sese sacerdotem profitebatur, inque caerimoniis magicis ritus catholicos adhibebat. At, quae singularis tum temporis fuit Dei providentia, virorum proborum et saluti generis humani studentium opera, librisque haud paucis in partem utramque scriptis, effectum tandem est, ut in risum solverentur spectatores, aliis interea deceptos sese

sese indignantibus, eoque ipso cautioribus in posterum factis. Esse enim omnia haec fraudes meras, ne callide quidem satis tectas, suis aliorumque verbis docuit Semlerus, collectis quae in utramque partem disputabantur. *) Nihilo tamen secius causam nondum deserunt, qui magna librorum obscurissimorum multitudine hominum ingenia student obtundere. **) Superstitiones astrologicae ad Ludovici usque XIV. Galliarum regis aetatem tenuere, qui astrologo adhuc utebatur, cujus consilio impulsus parum absuit, quin instituto collegio astrologorum totius sese Europae risui exponeret. ***) Has nugas Baelius praecipue edito de cometa libro e scholis philosophorum et hominum politorum animis proscripsit, cum essent ante jam a medicis cordatioribus explosae. Paucis demum abhinc annis e calendariis ejici sunt coeptae. Vaticinandi genera alia, per numeros, per ecstasin, paullatim desierant, nec posse prae irrisione prudentiorum reviviscere credebantur, cum Ziehen, cabbalisticis aliisque id genus nugis ratione sana spoliatus, ingentem terrae motum ac inundationem magnam Germaniae parti est minatus; et quod magis mirere, aures patulas, mentesque credulas invenit haud paucas. Desiit tamen fabula, ut omnes, quae praecesserunt, in risum. Non desunt nihilominus, qui vaticiniis similibus hominum mentes terrent, quod argumentum esse repuerascentis ingenii humani haud leve videtur. Tot enim tantisque experimentis docti qui non resipiscunt, hi ad pueros profecto proxime accedunt. Non esse autem vana quae dixi, documento sunt Galli, apud quos philosophia omnis severior jacet, Britanni, inter quos Monboddii et Boehmii sectatorum opera, paulatim exstinguitur; nos denique Germani ipsi, quibus pauci modo supersunt philosophi genuini, quique philosophiae severioris semper laude florentes, nihil fere, quod paulo est accuratius scriptum, legimus. Ne quis autem putet, me odio acerbius in magorum invehi et theosophorum genus; Bruckerum adeat, eadem fere sentientem †); argumenta, quibus in hanc sententiam sum adductus, infra videat.

*) Semler Sammlung von Briefen über Gasnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen, ac de Gasnero quidem Stück I, p. 85.sqq. 182.sqq. Stück 2. p. 288.sqq. de Schroepfero Stück I, p. 123. sq. 271. Stück II, p. 67., 101, 342.

**) Huc referendi liber des erreurs et de la verite; rapport naturel; Magicon aliique complures.

***) Möhsen Geschichte der Wissenschaften in der Mark Brandenburg Th. I, p. 415.

†) Bruck. Hist. Crit. Phil. T. IV, p. I. lib. II. cap. 4. de Cabbalistis III. cap. 3. de Theosophis. De fratribus roseae crucis, Paracelsistis, aliisque magicis deditis superstitionibus qui nosse plura cupit, adeat praeter Bruckerum, Paschium de inventis nov-antiquis cap. VI, VII.

PARS III.

ARGUMENTA QUIBUS IN UTRAMQUE PARTEM DE MAGIA EST DISPUTATUM.

CAP. I.

DE ARGUMENTIS PHILOSOPHORUM ANTIQUIORUM AD JAMBLICHUM USQUE.

Argumentum antiquissimum ab experientia ductum.

Qui artem magicam posse aliquid efficere, nec esse prorsus inanem, primi crediderunt, quique primi de ea scriptum aliquid reliquerunt, nullis utuntur argumentis, aut dubitari hac de re non posse existimantes, aut non egere demonstratione, quod communis hominum persuasio et experientia satis docet. Manavit namque omnis de magia persuasio ex opinionibus vulgi, pristinae barbariei debitis. Unde idem accidit ei, quod reliquis hominum opinionibus cunctis, quae absque demonstratione axiomatis instar primo ponuntur, dein, ubi dubia ab aliis moventur, argumentis demum fulciuntur. Est itaque experientia antiquissimum, quo nititur ars magica, argumentum; quod cum magni hodieque habeatur ponderis, sitque revera unicum, cui reliqua innituntur omnia; cum praeterea haud satis id alibi legerim excussum: liceat mihi hoc loco, quid de eo judicem, afferre. Experientiam dicunt docere, naturas corpore vacuas hominibus saepius comparere, esse qui multa vaticinentur, qui mira edant multa hominum vires superantia, qui cum spiritibus, cum Deo etiam ipso versentur familiariter; posse adeo arte aliqua haec ab hominibus parari, nec vanam esse magiam omnem. Id qui dicunt, largiuntur simul, vires naturae, corporum, animi humani haec superare, adjuvari in his homines a naturis quibusdam praestantioribus, viresque eis naturae auctorem largiri extra communem hominum sortem, esse raros hujusmodi homines, remque ipsam paratu haud facilem. Jam quodcunque naturae excedit ordinem, quod quotidiana non docet experientia; id argumentis et experientiis eget longe accuratioribus, quam quod fieri quotidie aut saepe videmus; quo enim quodque est rarius, insolentius, eo difficiliores nos oportet esse in adhibenda fide. Accedit, quod facillime hac in re homines fallantur ipsi, immo decipi quasi cupiant, arrogantia omnibus insita, desiderioque supra reliquos eminendi, in errores eos inducentibus, ac esse superis sese cordi, diligi a spiritibus, e levissimis etiam indiciis iis persuadentibus. Denique impostores, famae et auctoritatis avidi, lucri cupiditate aut fame stimulati, de industria in errorem plurimos inducunt. His itaque de causis virum decet gravem et prudentem, in his credendis esse difficillimum, et priusquam adsensum iis praebeat, ut omnia sibi exhibeantur, quae disciplina praescribit logica in capite de fide historica, postulare. Quae nisi adfuerint omnia, fidem hisce non habebit, qui sollicite cavere sibi ab errore omni decrevit.

Expe-

Experientia porro, aut aliena est, aut propria; haec dividitur rursus in eam, qua mira ejusmodi edentem vidimus ipsi, quaque posse nos ea patrare ipsos, nobis constat. Ad experientiam quod attinet alienam, quamque fando tantum audivimus; hanc nullius hac in re esse momenti, facile apparet: sive enim auctores longo temporis aut locorum a nobis intervallo distent, sive nobiscum vivant; nunquam praestare nos ab omni erroris metu securos possunt. Qui ante multa vixerunt secula aut multos annos, horum revocari auctoritas ad examen sat accuratum nequit, ut constet satis, fallere eos aut noluisse, aut non potuisse. Antiquitas enim, venerationem rebus et pondus addens, hoc loco elevat res, ob eam maxime causam, quod antiquitatem canam multarum fuisse rerum rudem, multa vertisse in miracula causarum ignorantia, credulam praeterea fuisse et superstitiosam, extra omnem est positum dubitationem. Major est procul dubio eorum, quibuscum vivimus ipsi, auctoritas, cum exploratu sit facilius, an fallere voluerint, aut potuerint; nihilo tamen secius et his non arbitror credendum. Etsi enim, eos viros esse bonos, argumentis sat certis queamus persuaderi, vix unquam tamen doceri accurate possumus, an ipsi erraverint, aut in errorem sint inducti; ut adeo simplici eorum assertioni fidem habendam, qualescunque fuerint, prudentes, sapientes cetera, cautique, equidem negem. Prudentissimos enim et cautissimos hac in re errasse, experientia constat; praeterea, qua in re nobis ipsis non debemus credere, ut mox ostendetur, in ea aliorum auctoritati eo minus est tribuendum. Quae si quis vir bonus ceteroquin ac prudens, cui aliis omnibus in rebus fidem jure non denegamus, affirmet, se vidisse spectrum semel, etiamsi addat audisse se idem, immo tactu etiam percepisse; non censeo id propterea statim esse credendum: fieri enim potest, et factum revera haud raro est, ut, qui notas etiam in corpore demonstrarunt a daemonibus vel spectris impressas, tamen terrore aut morbo ingruente, subito sint decepti. Si quis affirmet etiam saepe sibi apparere spectra, nec afferat alia, unde constet, phantasiam in errorem eum non induxisse, res ignotas sibi ab iis demonstratas, periculum eorum ope vitatum, in quod dubio procul alias incurrisset, aliaque ejus generis, quae suis viribus assequi nullo modo potuisset; fidem ei censeo denegandam. Quin ne si semel quidem a genio moniti periculum sese narrent effugisse, aut ingens bonum adeptos; propterea tamen, ni saepius accidat idem, revera apparuisse ipsis genium seu spectrum, non existimandum; fit enim casu saepe, ut spectri apparitio et periculum vitatum sese excipiant, nec quorum alterum fit post alterum, ea alterum esse alterius causam, statim licet concludere. Idem locum habet in his, qui genium habere sese familiarem contendunt, nec ostendere tamen eundem aliis valent, quod factum esse legitur rarissime. Lusum esse id phantasiae semetipsam decipientis, certis constat exemplis; quare ut demonstret aliquis, reipsa fucum se sibimet non facere, proferat documenta rerum alias sibi ignotarum, aut quod majus est, alios ante eum homines cunctos latentium, notitiae accuratioris intimae rerum naturae, divinationem futurorum saepius repetitam, semperque certam, quaeque sunt his affinia. Qui enim nova docet, adeo a reliquis hominum aliorum notionibus remota, ut derivari inde ratiocinio legitimo non potuerint, eum e fonte haurire subimiori, non licet inficiari. Qui semel aut raro futura accurate praevidet, ei statim propterea fides non habenda; casu enim, ac sagacitate quadam naturali multa saepe ex vero praedicuntur: is modo admitti ad spirituum familiaritatem existimandus, qui saepe, ita ut nunquam fallatur, quae praevideri prudentiae ope nequeunt, ex vero, absque ambiguitate verborum ulla, accurateque vaticinatur. Qui divinationibus operam navant, multaque edunt miracula; eos verum dicere nonnun-

Experientiae alienae fides hac in re non est habenda.

quam necesse est, immo fieri interdum potest, ut serie continua saepius vera praedicant, ut in talorum lusu eundem saepius non sine admiratione redire jactum videmus. Affirmanti denique sese pollere vi quadam, verbis certis, aut precibus ad Deum fusis, aliaque quavis ratione mira patrandi, licet ipsi testes simus eventuum inopinatorum, et verbis respondentium; non tamen statim ad tribuendam huic homini potestatem ejusmodi, nos patiemur induci. Morbi namque haud pauci et infirmitates, sola imaginatione vehementius mota sanantur, id quod infinitis medici exemplis confirmant; unde nihil mirum, hominem magna praeditum auctoritate, morbos haud paucos verbis, amuletis, manuum impositione, sanare. Quae praeterea non efficit imaginatio, proficiscuntur haud raro a casu, quem calliditas hominum, aut superstitio haud raro in utilitatem convertit suam. Quantopere hac in re in errorem homines inducat sophisma illud a logicis ductum, post hoc ergo propter hoc, dici vix potest; quo etsi toties se delusos videant homines, quotidie tamen ei iterum sese praebent decipiendos. Si cui ad nutum semel aut iterum pareant tempestates, venti, marium impetus, alia; non existimandum statim, hanc esse horum causam, sed inquirendum, an semper idem eveniat: quodsi enim vel semel eventus non responderit verbis, aut jussis hominis mirifici, rem omnem deberi casui et fortunae, satis elucescit.

Ne sensibus quidem propriis fides statim habenda.

Decipi et errare in his rebus est facillimum. Noctis obscuritate et lunae lumine incerto, quae in oculos incurrunt, alia prorsus videntur, simul loco appareant insolito, aut inopinato sensus feriant: multa ergo alia longe videntur, ac revera sunt, postquam phantasia nacta est licentiam fingendi res, qualescunque lubuerit. Sub noctem porro morbi omnes ingravescunt, aut latentes morborum causae vim suam exserunt; immo ob leves etiam mutationes internas in morbum non erumpentes, organa sensuum, nullo strepitu aut motu externo agitata, vehementius quatiuntur; sub noctem aut noctu ergo multa, quae nuspiam sunt, oculis et auribus percipiuntur. Ne propriis itaque oculis quidem aut auribus noctu credendum, et quod majus est, nec tactui, nisi, quod fieri rarissime potest, animo tranquillo et a metu omni vehementiori vacuo, ad rem visam accedamus contrectandam. Sunt, qui morbo laborantes melancholico, hypochondriaco, similibusque aliis, multa saepe rerum, quae nulla sunt, simulacra cernere sibi videntur, aliosque haud raro inducunt in errorem, cum sit eorum morbus adeo occultus, ut tempore vix diuturno queat cognosci, qui eo laborant ipsi id ignorent, omniumque maxime sese judicent sanos. Hanc itaque ob causam ne nobis quidem ipsis credemus, ubi saepius videbimur nobis naturas corpore carentes cernere, aut familiaritatem cum iisdem iniisse. Nec fidem etiam habebimus nobismet ipsis, ubi ad nutum, votum, verba, videbitur nobis natura obedire, nisi persuasum habeamus experimentis plurimis et saepe repetitis, casui nullum in his esse locum. Solemus autem nostri amore decepti, aut Deo prae ceteris nos esse cordi in animum inducentes, si post preces ad Deum factas, quae optamus, eveniunt; si praeter spem et opinionem e magnis emergimus difficultatibus, aut calamitatibus; si futura nonnunquam accurate satis divinamus; quorum illa absque precibus etiam nostris evenissent, hoc casui debetur, et phantasiae cuidam motui irrequieto, res plurimas absque ordine percurrentis, aut melancholiae, aut hypochondriae etiam insultibus, fumisve e cibis male degestis in cerebrum adscendentibus; haec omnia, quorum alterum fit post alterum, fieri propter alterum nobis persuadere. Quicunque reputaverit secum, quam facile sit errare in his, quantopere ergo homini cauto ab errore sibi sit cavendum;


vendum; et quo magis quicquid eſt ab experientia communi remotum, eo validioribus debere argumentis demonſtrari: eum non metuo, ne nimiae in his me ſeveritatis aut incredulitatis etiam ſit accuſaturus. Sunt vero alii, quorum fides adeo infirmo ſtat talo, ut a quovis vento impellatur, aut natura in viſiones et ſomnia proni, hi dubio procul nihil clamabunt poſſe experientiam demonſtrare, ſimul adeo coeperimus eſſe in argumentis inde ductis difficiles ac paene moroſi. Hos rogatos equidem velim, ut quae de fide hiſtorica docet diſciplina logica, accurate perpendant, regulasque logicorum huic negotio applicent, ſimul autem huc reſpiciant etiam, rem quamcunque, quo eſt ab experientia communi magis remota, magisque adeo probabilitate per ſe deſtituta, eo majorem poſtulare ſeveritatem, ac ut ita dicam, moroſitatem. In eum ubi ſeſe induerint animi habitum, animoque ſimul, quaecunque feruntur de geniis, ſpectris, vatibus, geniis familiaribus, ad Dei contemplationem admiſſis, miraculorum auctoribus, verbo, magis quibuscunque (qui ſacrarum litterarum auctoritate tales perhibentur, ſemper excipio) percurrerint; nihil reperiri in his omnibus, quod fide ſit dignum et, ut par eſt, auctoritatibus ſtabilitum, mecum concludent. Ad me quod attinet, lectis compluribus ad id demonſtrandum compoſitis libris, ſtudioſe, qui accurate rem demonſtrarent, quaeſitis, nihil me fateor inveniſſe, quod ſatisfaceret, aut ad extorquendum aſſenſum, viſum ſit idoneum. Qui habere ſe putat meliora, certiora, proferat ea, nec invideat publicae utilitati, id tamen ante rem ſuſceptam probe teneat, a regulis logicis ne latum quidem unguem eſſe ſibi diſcedendum.

Miſſis, quae ab Ariſtotelicis et Epicureis contra magiam diſputata ſupra commemoravimus, utpote hypotheſibus ipſorum, non argumentis ex ipſa rerum natura ductis, nitentibus; de argumento Ennii ſuo jam loco allato pauca dicemus. Is ſui temporis magos ac divinos, opes aliis et magnifica omnia promittentes, eſſe nihilominus egenos ipſos ac famelicos, praeclare monet. Idem omnis aevi ad hunc usque diem hiſtoria docet; ſi quorum enim celebrabantur opes, unde ſint partae, temporis fere ſemper diuturnitas et inveſtigatio curioſa aperuit. Magnopere Callioſtri nuper laudabantur ſumtus in egenos facti, cumque, unde vitam aleret, non conſtaret, magus habebatur ſummus: at intellectum eſt tandem, unde manarint ejus divitiae. Iisdem artibus uſi ſunt ante eum multi, ſtudioſe, unde afflueret ipſis pecunia, celantes, eoque ipſo famam artium occultarum, et naturae ſuperantium vires, aucupantes. Ennii contra magiam argumentum.

Quibus ante Plotinum argumentis cauſam magi defenderint, non conſtat; hic, ut reprimat adverſarios et commendet artem magicam, rationem ſubducit ita: univerſum unum cum ſit animal; unam quoque habet animam, ad partes ejus omnes pertinentem, easque pervadentem, et ſimile eſt nobis aliisque quae novimus animalibus, quorum partes etſi locis diſtantes, animae tamen reſpectu omnes ſibi ſunt vicinae, ut quae uni eveniunt ſecunda aut adverſa, afficiant etiam reliquas, totique animali aut proſint aut noceant. Ut igitur in nobis laeſa aliqua parte externa, reliquae omnes et totum animal ſenſu doloris afficiuntur, et quod uni parti eſt adverſum, laedit etiam reliquas; ita in univerſo ſenſus quidam ab una ejus parte manat ad reliquas, locis licet diſſitas, verbo, eſt quidam inter omnia quae ſunt in mundo conſenſus, quaedam ſympathia, unde fit, ut laedere aut juvare per partem aliam poſſimus etiam quae longiſſime ſunt remotae. *) Plotini defenſio magiae.

Univer-

*) Plotin. Enn. IV, l. IV, c. 32.



Universum porro cum sit ordinatissimum et simile choreae, ubi motus cujusque respondent motibus alterius, possintque a rei perito alter ex altero explicari; divinare etiam ex iis, quae jam fiunt, futura licet, maxime autem ex astrorum motibus et situ: astra enim, cum sint dii, gubernant mundum, suntque instar ejus, qui praeest saltationi, nutuque aut alio corporis motu, quae sunt iis facienda, significat. *) Quodsi igitur omnes mundi partes pervadit universi anima; vivere omnes necesse est et sentire. Nec obstat, quod multa nobis videntur vita carere, aliter enim quodlibet vivit in se, aliter in toto, unde fit, ut vitam denegemus omnibus, quae moveri per se et sua sponte non percipimus, etsi vita sint praedita occulta, vivensque omne constet e partibus sensuum nostrorum judicio non viventibus. **) Quodsi porro omnia ad unum aliquem sunt finem ordinata, quaecunque eveniunt, esse futurorum signa recte sequitur. Neque tamen omnia e rationibus manant seminalibus (id est, viribus brutis et mechanismo, quod enim antiqui rationes vocant seminales, λογȣς σπερματικȣς, id commode nos mechanicam dicimus elementorum compositionem, partium situm et figuram, unde cetera secundum compositionis et mechanismi leges sequuntur, ut e seminibus procreantur plantae, arbores, vi praeformationis et mechanismi latentis) his namque non insunt, quae praeter rationes fiunt seminales, quaeque a materia rudi proficiscuntur. Sunt causae rationibus seminalibus potentiores, multaque a superis in nos manant et ab ipsis dispensantur. Nihilo tamen secius ex effectu cognoscitur causa, quod sequitur, ex eo quod praegressum est, e simplicibus compositum, omniaque ante quodam modo significantur. ***) Hinc itaque, qua ratione fiant praestigiae, incantationes, veneficia, facile intelligitur. Propter sympathiam enim rerum et consensum inter se mutuum, et antipathiam, id est, contrarietatem virium, similia inter se consentiunt, dissimilia sibi repugnant. Per veram namque magiam, id est, rerum in universo amicitiam et pugnam, multae fiunt sponte praestigiae et incantationes, quibus animadversis usi sunt homines ad artes magicas exercendas; philtra sunt exorta, adhibitis rebus, quae insitum habent amorem, animasque alteram ad alteram attrahunt; utuntur etiam figuris vires quasdam habentibus, se quoque ipsos certa quadam ratione figurantes, (id est, gestibus et motibus corporis) absque verbis vires ad se attrahunt. Incantationes, vocum melodia, aliaque his similia vires attrahunt, eodem prorsus modo, quo voces flebiles et accentus ad miserationem compositi, animam nostram movent. †) Preces ejusmodi et formulae magicae propter eandem sympathiam efficiendi vim habent. Quemadmodum enim mota parte unius chordae inferiori, movetur etiam superior, immo propter concentum mota chorda una, altera saepenumero sonum edit, idque evenit chordis lyrarum duarum; ita in universo secundum rationes harmonicas facto, ex similibus sibique cognatis condito, propter eandem causam, alia ab aliis mutantur, etsi locorum distent intervallis. ††) Universum porro cum sit animal unum, nobis hac ratione simile est existimandum, unde ut laesa parte aliqua ex aliis accurrunt et attrahuntur vires ad hanc juvandam, utque corporis nostri partes mutuo se auxilio muniunt; ita in universo, vires etiam superiores et majores, ab alia in aliam partem derivantur, licetque incantatoribus, praestigiatoribus, magis, caerimoniarum ope ex aliis mundi partibus vires in se derivare humanis majores et mirificas. †††) Hinc in daemonas multum etiam possunt artes magicae, hi enim memoriae et sensus non sunt exper-

*) Plotin. Enn. IV, l. IV, c. 33. **) Ibid. c. 36.

***) Ibid. c. 39. †) Ibid. c. 40. ††) Ibid. c. 41. †††) Ibid. c. 42.

expertes, nec ab omni passione prorsus immunes, unde allici eos physica ratione caerimoniis, audire precantes, non est praeter rationem, idque eo minus, quo sunt humanis rebus propiores, cognationisque nobis vinculis juncti. *)

Haec de magia vulgari, quam γοητειαν consuevit vocare, philosophatur Plotinus; quam niti sympathia rerum et antipathia, has rursus anima totum pervadente mundum, facile perspicitur. Sympathiam et antipathiam antiquitus jam magis innotuisse supra vidimus, iisdemque usos magos probabile est ad fulciendam artem. Cum tamen haec in paucis tantum rebus experientia duce cernerentur, in longe plurimis mutuus ejusmodi consensus non appareret, essetque nihilominus magis consensu omnium rerum occulto opus, ne aedificium rueret; Plotinus ubique eum et per totum obtinere universum aggreditur demonstrare. Callide satis et ingeniose animam mundi, a plerisque veterum agnitam, huc advocat; quo semel concesso ex animalis et hominis analogia, non sine magna probabilitatis specie, multa concludi de universi natura poterant, quibus magicae artes defenderentur. Re tamen accuratius perpensa, haud multum inde Plotinus, quique eum ad nostra usque tempora sequuntur, magi fere omnes lucrantur. Quod enim totius causae est caput, anima esse praeditum mundum, omnia penetrante, omnibusque rebus sensum impertiente, nullo Plotinus argumento demonstrat, etsi, cum per se non sit manifestum, et a multis ea jam aetate negaretur philosophis, demonstratione maxime eguisset. Senserunt id post Plotinum alii, de quibus infra dicendum. Experientia porro, ad quam provocat Plotinus, quamque ante eum alii procul dubio jam adhibuerant testem, esse sympathiam rerum et antipathiam, sola non evincit; cum magnetis, chordarum consonarum sonis, etsi sese non tangant, hominum et animalium sympatheticis animorum motibus, nihil insit, quod, quo minus haec mechanica fiant ratione, obstet, nec licet philosopho experientiam adhibere testem rei cuidam firmandae, quamdiu alia etiam ratione interpretari eandem licet, nec de vero ejus sensu satis constat. Id tacita Plotini ejusque similium confessione hinc elicitur, si omnia mechanica fiunt in universo ratione, si quae vita et sensu nobis videntur carere, reipsa eorum sunt expertia, sympathiam et antipathiam, totumque adeo hoc magiae genus esse nullum; quod probe perspiciens Plotinus vim aliquam sentiendi et animam omnia pervadentem censuit in auxilium advocandam. De rerum autem significatione quae adfert, et divinatione ei subnixa, absurda quidem non sunt, et mechanicae etiam philosophiae satis consona, quae Leibnitius plurima hinc videtur hausisse, ut ante quem nemo de rerum omnium harmonia, et universi aedificio ordine summo constructo, accuratius Plotino disseruit: at rem ipsam parum juvant, id enim modo inde efficitur, quod et intulit Leibnitius, qui cujuscunque rei perspectum accuratissime haberet statum omnem, intime omnes ejus affectiones nosset, qui praeterea causarum omnes leges et naturas teneret, eum divinare accuratissime posse. Quis autem est nostrum aut erit unquam, qui scire sese haec omnia, aut posse mortalium quemquam scire, ausit affirmare?

Argumentis Plotini nulla inest demonstrandi vis.

De altero magiae genere theosophico, quo ad Deum accedimus contemplandum, ita differit Plotinus: semper et ubique cum nobis adsit Deus, inque animo nostro habitet; qui intueri Deum cupit, a reliquis rebus omnibus mentem abducat, ubi enim rei alterius obversatur animo imago, cernere Deum nequimus, ut in aliis etiam rebus considerandis

Argumenta Plotini ad tuendam magiam philosophicam.

*) Plotin. Enn. IV, l. IV, c. 43.



randis sevocare animum ab omni quod est a proposito alienum oportet. Ut Deus animum suo repleat splendore, ejusque suscipiat anima speciem, similem esse eam materiae primae, forma omni carenti, par est, ignorare alia omnia, immo a se ipsam prorsus discedere, suique oblivisci. Extra nostrum neminem est Deus, semper est in nobis. *) Animi motus est orbicularis, centrum quoddam habens, circa quod volvitur anima, centrum autem id non est ipsius animae centrum, sed rerum omnium centrum commune, in quo centra alia coincidunt cuncta, id est Deus. Nihilo tamen secius anima quaevis, deus inferior quivis proprium habet centrum, res enim materiae carentes non locis distant, sed qualitatibus et affectionibus diversis. Sublata, quoad fieri ejus potest, hac diversitate, anima Deum intuetur ac intime cum eo conjungitur, quod requies est nostra, bonorumque finis. **) Tum vitae, mentis, boni, omniumque, quae sunt, rerum fontem intuemur, ac principium, non effusarum ex eo, sed in ipso manentium, tum anima requiescit, a malo omni sejuncta, in locum mali vacuum elevata, intelligit ibi, ibi nullis est passionibus obnoxia, ibi vere vivit; vita enim nostra imitatio tantum est vitae illius, vita autem illa vera est, utpote actus mentis, id est cogitatio, seu intelligere perpetuum. Anima ubi in locum generationi obnoxium et corruptioni fuerit delapsa, mortalia amans, seipsam deturpat; ubi contra ab hac sese labe purgarit, ad patremque redierit, beatitudine fruitur. Ibi aliam longe vitam anima vivit. Simul corpore relicto illinc migrarimus, adspiciemus nosmet, plenos lucis intelligibilis, immo in lucem ipsam versos, absque pondere levissimo, quin Deos potius factos. ***) Ad Dei contemplationem admissi, a Deo nulla differunt ratione, sed sunt penitus unum, irae, cupiditatum, immo ratiocinii, cogitationis, sunt prorsus expertes, non est id contemplatio proprie dicenda, sed alius cernendi modus, ecstasis, studium tangendi et denique quies. †) Hic ergo Plotinum eadem prorsus audimus loquentem, quae theosophi recentiores, Gymnosophistae ac Brachmanes Indorum, theologi mystici Christianorum loquuntur, de luce, qua perfunditur anima ad Dei admissa intuitionem, de voluptate ac beatitudine, omnem aliam superante laetitiam, de ratiociniorum et cogitationum per verba silentio, deque profundissima animae quiete, ut adeo hi omnes, mira licet de ejusmodi visione jactantes, nihil viderint novi, altius in Dei rerumque spiritualium naturam non penetrarint, Plotinum modo aliosque ejusdem generis homines sint imitati. Id quod profecto non potest non mali ominis haberi ab homine nondum verborum praestigiis capto et ab his philosophis aut theologis irretito. Quam jactant tantopere magiam, haec in splendidis eorum verbis residet tota, et in arte quadam insitae hominum vanitati blandiendi, promissis magnificentissimiseos ad summarum rerum spem erigendi.

Pondere destituuntur haec Plotini argumenta.

Quae ut ostendamus non absque ratione a nobis esse dicta, age ecstaseos excutiamus demonstrationes. Existimat Plotinus, Deum unicuique nostrum adesse proxime, immo in ipsa habitare anima, adeoque contemplari nos Deum, simul animam nostram intueamur puram, intimam ejus naturam, semotis corticibus externis, id est anima sentiente, vegetante, concupiscente, instar vestium circumdatis animae intelligenti, contuentes. Ne tamen in eam videatur imprudens labi impietatem, aut stoliditatem, ut Deos esse nos affirmet; differre animam nostram a Deo, omnium rerum fonte simul adjicit, habitare tamen Deum nihilo secius in intimis animi recessibus; naturas enim corpore vacuas non locorum

*) Plotin. Enn. IV, l. IX, c. 7. **) Ibid. c 8.

***) Ibid. VI, l. IX, c. 9. †) Ibid. cap. 10.

eorum spatiis, sed sola diversitate a se invicem distare, solamque hanc esse, ut plures sint, causam. Ac primo quidem loco totum hoc nititur emanationis fundamento, qua Deus esse in rebus omnibus per essentiam, ut ajunt Scholastici, existimatur, instar solis vis, quae inest radiis omnibus ab eo emissis, aut vocis a multis auditorum millibus perceptae, at ubique tamen manentis ejusdem nec multiplicatae. Haec autem emanatio, praeterquam quod absurda est, impia etiam jure censetur. Emanare nequit ex altero, quod ei antea non fuerat inclusum; si ergo emanant omnia e Deo, ut simul separentur ab eo et locis distent, discerpi Deum ac dividi necesse est; sin emanant ita, ut simul maneant in Deo, nec in plures abeant partes ejus, quod fuerat ante, totius, omnibus id certissimis repugnat rationibus. Substantia enim quod est, id cerni, tangi, verbo percipi extra aliud necesse est, nec possunt ullae res duae esse substantiae, nisi sint in locis diversis, et ubi est una, ibi non sit simul altera; id namque unicum est, quo duo esse aliqua in rebus extra nos positis, quoque nosmet a rebus aliis extra nos discernamus, criterium. Hoc sublato nihil amplius erit, unde judicemus, sitne calor, color, aut odor substantia una cum soliditate, impenetrabilitate, an qualitas omnis propriam faciat substantiam, simque adeo ego, meusque color, mea figura substantiae plures? Hoc autem criterium non diserte quidem, eo enim non audet progredi audaciae, ut quae totam doctrinam statim everteret, tacite tamen tollit Plotinus, dum affirmat, in rebus corpore vacuis id non habere locum. Sit ita; statim consequitur, calorem, colorem, odorem, figuram, vim, quae non sunt res corporeae, utpote per se in sensum incurrentes nullum, esse substantias plures. Addit res incorporeas, intelligens procul dubio substantias, affectionibus et qualitatibus effici plures, simul differant, plures eas dici substantias, non autem quod loca teneant plura et spatiis disjungantur. Unde ergo dijudicabit, ideae nostrae sintne substantiae an animae modi? Immo quod longe est gravius, efficitur inde, esse eas substantias simul et modos; differunt namque ab anima, differunt a se invicem, sunt ergo substantiae; sequuntur animae statum, inhaerent ei semper, sunt ergo modi. Quodsi substantiae incorporeae loco non distant, sunt ut ideae in anima una absque loci et spatii discrimine, ita spiritus in uno omnes puncto aut uno ubi. Jam si ideas non possis non fateri esse animae modos, omnes spiritus esse Dei modos cogeris largiri, adeoque in Spinozae imprudens rues impietatem. Sin ideas substantias dicas, animum creare substantias, in nihilum redigere substantias, quamlibet ideam esse spiritum, animam nihil esse aliud quam spirituum congeriem, quaeque sunt his simillima risu dignissima, non poteris non fateri. Qui emanationem defendunt, alterutrum coguntur largiri, aut omnia partes esse Dei, adeoque Deos ipsos, aut Dei modos, quorum utrumque est impietatis plenum. Huc ergo ducit tandem mirificus Plotini ad Deum accessus, haec necessario consequuntur emanationis doctrinam, haec imprudentes tanto ardore defendunt, quicunque theosophiae hodie favent, pietate nihilominus sese supra ceteros eminere, immo rectius longe et accuratius sese de Deo et rebus divinis sentire, non sine arrogantia, et vana jactatione, sibi persuadentes. En mysterium luce divina et accessu mentis ad Deum dignum! Ecstasin ad Deum affirmat Plotinus animam tollere; unde concludens? qua demonstratione planum faciens? Equidem nihil ibi praeter nudam ipsius video affirmationem: jam nihil philosopho turpius, quam afferre quicquam, quod satis per se non constat, sine argumento idoneo. Voluptatem, quietem, beatitudinem, qua extra se abreptus fruitur, lucem, quam adspicit, id non demonstrare, satis per se intelligitur; lucem cernunt, qui strangulantur, lumina cernunt saepe, qui vini nimium biberunt, sanguine in caput ascendente; voluptatem insolitam percipiunt



cipiunt multi hausto opio aut delirantes, immo nonnunquam et somniantes. At intima rerum natura recluditur in ecstasin abreptis? Hanc quam accurate perspexerit ipse Plotinus, patrocinio emanationis suscepto, est documento; erroribus aliis haud paucis defensis, est documento; obscuro et confuso scribendi genere, notionibus multis obscuris, est documento!

Cabbalistarum argumenta.

Cum magnopere hac tempestate jam vigeret Cabbalistarum doctrina: afferenda sunt hoc loco, quae de magia ab iis traduntur. Non possum autem satis mirari, qui factum sit, ut tot invenirent hi homines inter Christianos etiam, ac viros cetera non alienos a philosophia, propugnatores, cum quaecunque sunt scripta ab iis, somniantium magis phantasiis, quam docentium sint similia cogitationibus. Est in Plotino tamen, quod alliciat et capiat hominem non satis sibi caventem, et notionibus accuratis non adsuetum; Cabbalistae, quasi oracula fundant, nullis utuntur demonstrationibus. At hoc forte est ipsum illud, quo tantopere homines sunt irretiti; solet enim plerumque ipsa docentis fiducia movere hominum animos, ut inania etiam et levia ducant sapientissima. Accedit, quod hi homines omnia e sacris hausisse litteris volunt videri; quas misere torquent, transpositis unius vocabuli litteris aut plerumque pro lubitu copulatis, donec prodeat, quod cupiunt. Denique cum viderent homines in sacris litteris multa narrari miracula, vocum auxilio edita, vocibus quibusdam peculiarem inesse vim, ipsum Hebraeorum sermonem posse plurimum, sibi persuaserunt, omnique studio in id incubuerunt, ut mirifica haec verba eruerent. Dicunt itaque, ut speciem his aliquam induant Cabbalistae, ante conditum mundum nihil fuisse praeter Deum, lucem infinitam, omnia complentem, nec posse praeter eum esse quicquam, nisi locum ei faciat Deus, lucem suam retrahendo aut comprimendo. Cum itaque secum constituisset Deus condere mundum: lucis suae ambitum contraxit in spatium angustius, eoque ipso extra se reliquit vacuum, obscuritatis plenum. Quo facto, rerum cunctarum, quae creari possent, contemplatus notiones, ut, quasnam esset conditurus, secum constitueret, eaque contemplatione delectatus, totus intra se laetitia est commotus. Is laetitiae motus, ut scintillae et puncta lucis divinae exirent, aut exsilirent ex ambitu lucis contractae, effecit; haec deinde puncta per vacuum sparsa coegit Deus in litteras et voces, id est, in naturas spirituales, angelorum, ac daemonum, mundum inferiorem e materia conflatum gubernaturas. *) Habent ergo hae litterae et voces vim magnam edendi miracula, ut quicunque noverit eas accurate, possit mortuos revocare in vitam, **) aliaque istiusmodi perpetrare. Harum vocum usu Moses aliique tot miraculis inclaruerunt. ***)

Ad examen revocantur argumenta Cabbalistarum.

E Deo igitur emanarunt omnia: adeoque in Cabbalistas, quaecunque modo reprehendimus in Plotino, cadunt, praeterea in eosdam alia his absurdiora. Plotinus et Platonici, corpoream esse Deum lucem, pernegant, lucem intelligibilem, id est, sola mente percipiendam, esse eum affirmantes, iidemque adeo in enarranda emanatione nulla lucis imagine utuntur, omnem rem expedientes more logicorum, quoties e genere per divisionem species inferiores derivant. Quo ipso sedulo sibi cavent, ne quis de rebus creatis, tanquam de partibus naturae divinae, loqui eos possit insimulare. At Cabbalistae hanc subtilitatem non capientes, et, ut erant homines imaginatione magis quam mente pollentes, ad imagines corporeas delapsi, quaecunque sunt a Deo condita, esse partes Dei, discere

*) Cabbala denudata T. II, pars I. pag. 164, 168.

) Ibid, p. 171, 177. *) Ibid, p. 172.

discerpi naturam simplicissimam in partes, esse per spatia infinita extensam, coguntur largiri. Jactant porro Cabbalistae, hanc doctrinam se hausisse ex antiquissimis gentis traditionibus, non a Mose modo, aut Abrahamo, sed ipso Adamo, primisque generis humani parentibus, serie continua ad sua usque tempora descendentibus, adeoque antiquissimam esse hanc theologiam, a Deo ipso profectam, et mentibus primorum hominum aut inditam, aut saltem iis revelatam, cum esset inter Deum, angelos, et homines adhuc familiaritas, et consuetudo fere quotidiana. Hoc ipsum in errorem induxit Christianorum haud paucos, interque eos viros ingenio cetera non destitutos; hoc ipso gloriari hodie solent theosophi, eam autumantes sese possidere sapientiam, quae a prima mundi aetate, ab hominibus nondum valde corruptis, primaque generis humani simplicitate manarit. Reputent hi secum, vehementer velim, magnam esse inter Cabbalistas de rebus gravissimis, immo ipsis doctrinae fundamentis, opinionum diversitatem, cujus specimina e Judaeo Cabbalista, disertis hoc verbis fatente, adducam. Quaestio insignis est, inquit Rabbi Jizchack-Lorja, auctor cetera luculentus, et inter Cabbalistas, quos equidem vidi, me judice facile princeps, nec a philosophia prorsus alienus, circa infinitum ipsum, quomodo nimirum se habeat circa initium emanationis mundorum ab ipso effluentium, nec sine controversia, cui fere omnes involvuntur Cabbalistae. Quidam enim scribunt, decem sephiroth decem gradibus ordine sibi succedere, aliis superioribus, aliis inferioribus continuo existentibus. Alii scribunt, eas exseri columnatim, constitutis seriebus diversis, dextra scilicet, sinistra atque media. — Multi porro statuunt decem sephiroth existere sub figura circulorum sibi invicem inclusorum. Et qui perlustrabit verba R. Simeonis Jochaidae in libris Sohar et Tikkunim, nec non librum Bahaz, ibidem multa inveniet capitula discrepantia. —— Cabbalistae autem posteriores inprimis occupati sunt circa evolutionem hujus quaestionis, nec tamen ad scopum perveniunt. *) Porro supra vidimus Deum ipsum esse lumen, ex ejusque natura lumina cetera manasse, Jizchack contra a Deo demum emanasse istud lumen contendit. **) His adde, quae de Adam Kadmon primogenito Dei filio, id est, luce e Deo egrediente docent, a quo multa dicunt lumina descendere, quorum alia pendent ab ejus cerebro, alia a cranio, alia ab oculis, alia ab auribus, immo ab omnibus corporis partibus. ***) Adde tandem, quod sine indignatione non potest audiri: et dixerunt magistri nostri bonae memoriae, vos vocamini Adam propter animam Adami primi; populi autem nunc ibi non vocantur Adam, homo, quoniam nullam habent animam ex homine superiori sancto, sed Nephesch est ipsis ex Adam, Belial in mundo, in quo litterae praestigiarum. Et quamvis omnes generati sint ab Adamo primo, fratres tamen nostri sunt tantum ex parte corporis, non vero ex parte animae. †) Mira profecto, ac nescio an extra omne exemplum arrogantia! En quorsum evadat tandem jactata haec tantopere, tamque sancte ab hominibus Christianis culta Cabbalistarum sapientia! Miro hi ardore in haec arcana feruntur, non reputantes, non esse sese homines, sed hominum modo figura ornatos, anima Belial praeditos, quibus hoc ipso aditus ad haec mysteria intercluditur. Scire vehementer cuperem, quid sentiant doctores hi bonae memoriae, super quos sit pax, de hominibus ad religionem Judaeorum transeuntibus, an et hi sanctam ex Adam Kadmon accipiant animam? Si accipiunt, ergo pendet ea ex praeputio, ut, quibus est praeputium integrum, iis sit anima mutilata, quibus mutilum,

*) Cabbala denudata T. I. pars II, p. 30.

) Ibid, p. 29. *) Ibid. p. 29. †) Ibid. T. II, p. I, p. 176.

tilum, ii anima demum gaudeant integra, sintque veri nominis homines. Sin minus, quid ergo proselytas facitis?

Porphyrii de magiae indole dubia.

Relictis Cabbalistarum somniis transeamus ad philosophos, et Porphyrii de magia sententiam audiamus. Is etsi a magia non esset alienus, in difficultates tamen tantas impegit, ut parum absit, quin neget totam, et credo fuisse negaturum, ni sectae obstitisset praejudicium, cum ipse, qui sese inde expediat, non habeat. Sunt autem hae non spernendae, ideo insuper etiam commemorandae, ut, qua ratione ab aliis sit iis occursum, totumque disputationis ordinem accurate teneamus. Docet itaque Porphyrius, Pythagoram aliquem Rhodium, cujus aetas et cetera ignorantur, adhibens auctorem, Deos ad sacrificia vocatos, non sponte ac lubentes, sed necessitatis vinculis constrictos adesse; quibus alii magis obediant, alii minus; nonnullos ex consuetudine clarius sese exhibere, maxime si natura fuerint boni, alios, etiamsi consueverint adesse, nocere tamen hominibus cupere, maxime ubi homines versari negligentius in eorum cultu videantur ipsis. Hoc ipsum oraculis Deorum nonnullis confirmat, quae nihil attinet transscribere. *) Diis porro semel excitis non esse liberum, unde venerunt, redire, donec potestas iis fiat ab eo, qui elicuit eos, aliis porro oraculis demonstrat. **) Haec postquam risit Eusebius, ipsius tandem Porphyrii subjungit orationem, ejusdem fere argumenti. Vehementer, inquit, me angit, quod Dii vocati tanquam superiores imperari sibi patiuntur tanquam inferioribus; quod, cum cultores jubeant esse justos, ipsi injusta, quae fuerint ipsis imperata, faciunt; quod, cum non sint audituri eum, qui a re venerea non abstinuerit, ipsi non dedignantur, impellere alios ad Venerem, legibus vetitam; quod, etsi ab animalibus jubeant abstinere ministros, ne corporum exhalationibus maculentur, ipsi sacrificiis animalium eorumque nidore magnopere delectantur; quod, qui intueri eos cupiunt, nolint cadavera tangere, ipsi nihilominus per animalia mortua maxime alliciuntur. Quod autem longe his est absurdius, non daemoni cuilibet aut defuncti animae, sed ipsi soli regi, aut lunae, aut alii Deo caelesti quilibet de plebe homo minas intentat, ut vera eos cogat narrare. Dicunt se coelum esse concussuros, arcana Isidis revelaturos, quod Abydi est occultum ostensuros, Aegypticae navis (βαρις) cursum inhibituros, membra Osiridis sparsuros in gratiam Typhonis; quo nihil est audacius et magis temerarium, cum minentur, quae neque possunt neque norunt; nihil est Diis indignius, cum adeo vana metuant et ficta, quae vix timerent pueri stolidi. Attamen perhibet ista Chaeremon scriba sacer, inter Aegyptios esse celebratissima, ab iisque haec maxime valere ad cogendos Deos tradi. Preces porro quam sunt rationi adversae, quibus invocant eum, qui e limo prodiit, qui loto insidet, qui navi vehitur, qui omnibus locis formam mutat, et in singulis Zodiaci signis alius apparet? Talem dicunt solem conspici, ignorantes, se phantasiam illi suam affingere. Sin autem symbolica dici haec ratione velint, symbolicum sensum aperiant; patet enim, si soli haec acciderent, omnibus eadem in oculos incursura, ut solis defectionem. Quid autem voces sensu carentes et nomina barbara sibi volunt? Quodsi enim ad significationem vocabulorum respicit Deus; quocunque utaris sermone, modo sensus sit idem, perinde est: qui enim vocatur, non fuit, opinor, natione Aegyptius, aut si fuit, Aegyptio tamen, immo humano non utitur sermone. Aut enim haec omnia sunt praestigiatorum inventa et artes, aut de Deo nos sentire sibi repugnantia non animadvertimus, aut ipse Deus revera sibi repugnat. — Quodsi ab omni passione Dii sunt immu-

*) Euseb. praep. Ev. V. cap. 8. **) Ibid. cap. 9.

immunes: — Deorum auxilium implorare, eorum iram placare, scelera expiare, adeoque magis etiam, necessitatem quandam caerimoniis iis imponere, vanum est; quod enim nihil patitur, deliniri, cogique nullo modo potest. In cassum itaque inventa est eorum de inveniendo fugitivo servo, de emendo agro, de matrimonio ineundo, aliisque, sapientia. *) Quae postquam egregie et acumine ingenii multo disputavit Porphyrius, ut a vero haud procul videatur abesse, ingressus viam eo ducentem: in solitas sectae relabitur superstitiones, exemplis plurimis aggrediens demonstrare, Deos ipsos artem magicam, qua ratione sint colendi, quibus modis simulacra iis sint facienda, ut appareant ipsi, quibus vocabulis, characteribus in iis evocandis sit utendum, hominibus tradidisse. **) Est enim id quoque magicum artificium haud spernendum, ad Deos auctores referre praecepta artis, ut altiora ingeniis humanis et sanctiora inventis nostris videantur, simulque certiora existimentur ab imperitis. Hinc eandem viam ingressos modo vidimus Cabbalistas, quos imitantur hodie theosophi nostri, Eclecticis ab ea abstinentibus: hi enim de intuitione Dei tanquam summo bono disserunt quidem, sed nunquam mentionem faciunt notitiae altioris vel profundioris inde reportatae, satis sibi et ingenio humano in paranda rerum cognitione fidentes; id quod animi haud abjecti, nec de se desperantis, qualis solebat esse indoles Graecorum liberior et audacior, est argumentum. Genius contra Cabbalismi, et theosophiae, ut Orientis fere nationum, est animi quaedam imbecillitas ac mollities nihil per se audens, omnia aliunde exspectans, qualis solet esse eorum quoque animus, quos nimia diuturnaque fregit tyrannis, et ad indolentiam alienis inhiantem opibus redegit. Quod idem cum sit theosophicae disciplinae indoles, cumque magnos ea hodie fecerit in Gallia progressus, faciat in Britannis et Germanis, pessimi profecto est ominis, et argumentum, prorsus jam hos omnes a majorum degenerasse virtute, et aut in servitutem jam esse omnis generis redactos, aut eidem satis maturos. Quam autem sit vera haec magicae artis et theosophiae a Deo ipso profecta origo, judicari vel inde facile potest, quod theosophi non minus quam magi inter se dissident omnes, ut, si accurate singulos excutias, neminem per omnia eadem invenias cum altero sentientem. Quodsi esset huic scientiae fons adeo sublimis, qui semper in animos hominum illabendo, et suo semper lumine eos collustrando, ab errore eos omni prohiberet: non posset profecto inter ejus professores opinionum exstare pugna, sed esset eorum disciplina instar geometriae, ubi novi semper aliquid additur, immotis tamen semper et inconcussis fundamentis.

Cap. II.

DE ARGVMENTIS JAMBLICHI.

Plura alia de magia dubia moverat Porphyrius, quae tamen omnia interciderunt; his ut responderetur, conscriptus est de mysteriis Aegyptiorum liber, Jamblichi nomen prae se ferens. Qui cum omnem Platonicorum exhibeat hac in re subtilitatem, sitque optima reapse artis magicae et theurgicae defensio; silentio non est praetereundus. Fundamenti loco substernit libri auctor, quod omnes concedunt Alexandrini et Cabbalistae, non possunt non concedere hodierni emanationis patroni, Deum inesse animae nostrae, esse intime ei copulatum, animam nostram esse causae suae unitam, adeoque Dei cognitionem nobis innatam; inde porro concludit: Deum a nobis cognosci, non ratiocinio, syllogismo, sed intuitu simplici, ita ut liberum nobis non sit, Deum negare aut asserere, sed plane necessarium, eum esse affirmare: idem de naturis etiam reliquis corpore vacantibus

Deum in animis nostris habitare placet Jamblicho.

*) Euseb. de Praep. Ev. V, c. 10. **) Ibid. cap. 11. sqq.

bus esse dicendum, heroibus, daemonibus animabusque puris, ut quae propter simplicitatem naturae, non nisi uno simplicique actu possunt percipi. Quae de spiritibus addit auctor, ut magis sint perspicua, in animum revocandum, quod ex Plotino supra attulimus, naturas incorporeas spatii intervallo non distare, sed omnes in uno eodemque esse loco; quare ubi Deus, ibi alii etiam spiritus, ibidemque etiam anima nostra, ut quae sejungi a fonte suo ac causa prorsus non possunt. Quantopere autem a vero aberret in his Jamblichus, apparet et inde, quod Deum esse ne adeo quidem est per se notum, ac evidens, quam idem simul esse et non esse non posse, aut quicquid fit, id suam habere causam; quodque adeo multis iisque expeditu non facilibus opus est argumentis, ut persuadeatur, quod simplici intuitu putat Jamblichus cognosci.

Naturarum divinarum discrimina secundum Jamblichum.

His concessis, qua ratione different divinorum haec genera, quaesierat Porphyrius, et erat quaestio haud facilis expeditu homini Platonico. Hi nimirum Deum esse naturam simplicissimam existimantes, cui notio etiam responderet simplicissima, in errorem induci sese passi, quod substantiae simplici respondere notionem simplicem debere sibi persuadebant; spiritus porro ceteros itidem simplicissimos pronuntiantes, qui eos deinde distinguerent a se invicem, plane non habebant. Repudiatis igitur jure modis, Deos, heroas, daemonas, animas corpore solutas, inter se characteribus internis distinguendi, ad analogiam aliquam, ultimum semper his in rebus miserorum perfugium, sese recipit, *) quasi dicat differre inter se naturas spirituales, non tamen differentiis specificis, aut accidentibus veris, sed ratione aliqua simili differentiis rerum compositarum, id est, nisi plane coecutio, differunt inter se accidentibus, et non differunt. Nihilo tamen secius, quasi non essent spirituum haec genera simplicissima, ita eorum constituit discrimen: Dii omnes sunt suapte natura boni, immo bonum ipsum, animae non sunt amplius ipsum bonum, sed partem modo boni accipiunt, inter haec medii sunt daemones et heroes; alii porro sunt simplicissimi, sensuque strictissimo uni, animae ea simplicitate destitutae, multiplicitatis aliquid habent, cujus vi mutari possunt et pati; daemones et heroes sunt iterum medii, **) Egregium profecto subtilitatis philosophicae specimen, et dignum homine ex ipso rerum spiritualium intuitu omnia hauriente! Dii sunt boni, id est, si nostro utimur sermone philosophico, perfecti; sunt ergo omnes perfectissimi: qui igitur inter se differunt? quaenam iis causa est numeri? Locorum intervallis distare prorsus nequeunt, sunt enim incorporei; discriminis intrinseci nil relinquitur, quae enim sunt substantiae perfectissimae, in se ipsis sunt prorsus eaedem. Haec prima inest his repugnantia. Animae non sunt ipsum bonum, id est, suapte natura non sunt substantiae perfectissimae, nihilo secius modo dictum est, naturas corporeas non differre genere aut specie; jam si bonum per se, et bonum non per se, specie non differunt, res nullae differunt specie aut genere. Haec repugnantia est altera. Animae pati possunt et mutari, adeoque accidentibus non carent; sed dictum est supra, naturas spirituales esse simplicissimas. Tertia repugnantia!

Quales sint porro Jamblichi Dii.

Hae naturae corpore carentes sunt ubique, Dii per universum totum ubique semper adsunt; incorporeum enim quod est, locis et spatiis non circumscribitur. Quodsi non essent ubique Dii, sed certum occuparent in coelis locum, disciplina omnis theurgica, Deorumque cum hominibus societas tolleretur funditus. ***) Quae cum videantur repugnare theurgorum ritibus, et opinioni communi, alios in aquis, alios in aere Deos habitare ponentibus, hanc ista conciliandi rationem init Jamblichus: Deus partes universi,

*) Jambl. de Myster. sect. I, cap. 4. **) Ibid. c. 5. sqq. ***) Ibid. c. 8.

versi, coelum inquam aut terram, si urbes et regiones sacras, si lucos aut statuas sortiatur; omnia forinsecus collustrat, ut omnia sol extrinsecus radiis perfundit. Quemadmodum igitur lux ambit illuminata, ita Deorum potestas forinsecus ambit, quae eam participant; et quemadmodum aquae lux adest, nec aquae miscetur, ita Deorum lux collustrat res sine mixtione, aut confusione. Lux Deorum est una, ubique tota, adest omnibus, quae capere eam possunt sine ulla divisione — nullae sunt inter Deos divisiones, dissensiones, corporeaeque circumscriptiones. Quae autem recipiunt Deorum potestatem, ejus sunt naturae, ut alia alio modo eandem suscipiant, aether modo aethereo, aer modo aereo, aqua ratione aquea; hoc animadvertens theurgica ars, invocationibus huic numinum distributioni adaptatis utitur. *) Non est itaque nisi unus revera Deus, ut non est nisi unum lumen, ubi unus est, ibi sunt simul omnes, omnis Deorum diversitas ex diversitate rerum manat, quibus vim impertiuntur. Obscura sunt haec, nec intellectu facilia, praecipue cum lux, qua ad illustrandam rem utitur, non sit ubique eadem, sed parte alia alibi. Magis perspicua fit Eclecticorum opinio, sentiunt enim omnes de hoc loco eadem, si reputemus nobiscum, inesse plures animae nostrae ideas, phantasmata, notiones, et eandem tamen animam, absque divisione aut partibus, singulis adesse, aut si maluerimus hoc: genera inesse speciebus omnibus, individuis omnibus, nec multiplicari tamen, dividi aut extendi.

Haec dum docent viri subtiles, non animadvertunt, sese Deos ac naturas spirituales mutare in meras unius substantiae modificationes, aut in notiones mentis, sublato omni, quo, ut sint substantiae et existant per se extra alia omnia, efficitur. Non animadvertit porro subtilissimus Jamblichus, parum sibi prodesse discrimen Deorum ductum a rebus, quibus vim suam largiuntur; Dii enim, si pati nil possunt nec mutari, sunt ubique iidem, ubicunque demum sint; adeoque quamvis aqua, aether, aer, eadem ratione eos non suscipiat; esse tamen eosdem, nec posse cum aliqua probabilitatis specie dici, a subjectis Deos aliquid trahere discriminis. Quod autem hoc loco affert Jamblichus, magiae totius et theosophiae est fundamentum; nisi enim omnibus rebus insit vis divina et particula divinitatis, vanae sunt evocationes, aliaque, quibus allici Deos sibi persuadent. Nititur id opinione, qua vim omnem esse naturae incorporeae et spiritualis ponitur, adeoque ipsum Deum formam esse et vim cujusque rei. Quae opinio tantum abest ut sit vera, ut impia potius sit, et ad pantheismum recta ducens; ut experientia etiam duce sit repudianda: vim enim rerum pendere a partium situ et ordine, earumque inter se copulatione, aut separatione, videmus ubique. Refutatur haec opinio.

His praemissis respondet Porphyrii dubitationi, qua absurdum videbatur, Deos cogi magicis ac theurgicis invocationibus, ut qui necessitati nulli sunt obnoxii, hunc in modum: Dii cum sint passionis expertes, non coguntur magicis ritibus, nulla iis infertur vis; Dii lucem suam impertiri omnibus volunt, suntque theurgis maxime benevoli, preces et formulae aliaque his similia, animam modo nostram, purgando, a materie et corporis labe eam sevocando, ad Deos evehunt, idoneamque reddunt divino lumini suscipiendo: quare Dii nihil patiuntur, nihil mutantur, animus modo noster his emendatur. **) Idem existimandum de caerimoniis, quibus Deorum avertitur ira, sunt enim Dii irati nemini, dicuntur irati, quotiescunque nos ab iis nos avertimus, ipsi eorum benigno influxu Non cogi Deos a magis, docere studet Jamblichus.

*) Jamblich. de Myster. sect. I, c. 10. **) Ibid. c. 12.

influxu nos privamus; expiationes itaque animum nostrum revocant ad Deum, Deo nihil interim mutato aut coacto. *) Acute haec disputantur a Jamblicho, nec ita tamen, ut satisfaciant omnino. Primo enim loco, si ita haec sese habent, falsam esse sequitur magiam plebejam, quae de emendandis moribus, anima purganda, plane non cogitat, libidinibus maximam partem, et nefariis hominum cupiditatibus servit; adeoque inter se dissident magiae propugnatores, quod ipsum est eorum vanitatis argumentum. Deinde Jamblichus Deos contendit, sua sponte naturaeque praestantia promptos esse paratosque, ad praestanda quae rogat theurgus, animo rite parato, caerimoniis pure observatis; quo ipso fateri etiam cogitur, nihil eos viris hujusmodi posse denegare, suaque bonitate, ut faciant, quaecunque is cupit, adigi. Quodsi enim liberum relinquitur Deo, nonnulla, quae cupit theurgus, non facere, aut ubi vocatur, non apparere; in nihilum abit ars theurgica, nec unquam certus inde ac constans potest expectari effectus. Hoc admisso, in alterum statim ruimus absurdum, ac nescio an omnium absurdorum maximum. Ubi enim mundi est futurus ordo, ibi certam necesse est et ante praestitutam ac ordinatam omnium, quae evenire debent, esse seriem rerum; quae ubi negatur, Deum praevidere omnia, esse omniscium, eum certis legibus gubernare universum, omniaque quae eveniunt ad certum dirigere finem, simul negatur. Jam, si non potest non, quaecunque in mentem veniunt theurgo alicui, Deus efficere, cum is theurgus nesciat, quid ordini universi sit consentaneum, cum cupiat saepe, quae semel coeptae causarum et effectuum seriei non congruunt: aut cogitur Deus discedere a proposito, et quae visa ante erant ei optima, deserere; aut nihil plane de gubernando mundo constituit, similisque est matri imbecilli, nimium liberis indulgenti, quae flentes ac rogantes liberos per omnia audit, nihil ipsa de eorum salute secum constituit.

Jamblichus astrologiam tuetur, figurasque daemonum adumbrat.

Nec ab astrologia alienus est Jamblichus, Saturni effluvia vim constipandi, Martis vim movendi putat habere. **) Favent ei magi fere omnes, theosophi etiam recentiores; sed de his infra. His expeditis ad describendas Deorum, daemonum, heroum, angelorum et animarum transit formas et figuras, quibus conspiciendos sese theurgis exhibent, quae cognoscere operae est, quo magis disciplinae vanitas appareat. Deorum, inquit, phasmata sunt simplicia, daemonum varia, angelorum simpliciora sunt quam daemonum, archangelorum propius ad causas divinas accedunt, archontum, qui sublunaria elementa gubernant, varietatem quidem habent, sed ordinem et ornatum, animarum denique specie omnigena apparent. Et Dii quidem salutares visui affulgent, archangeli terribiles simul et mites, angeli adhuc mitiores sunt, daemones horribiles, heroes mitiores sunt quam daemones, archontes si mundo imperitant, obstupefaciunt, si materiales sunt, noxii occurrunt, animarum denique spectra heroicis similia sunt, sed debiliora. ***) Deorum magnitudo tanta conspicitur, ut totum coelum, solem et lunam abscondere aliquando videatur, nec ipsa terra iis descendentibus possit amplius durare. Archangeli quoties apparent, partes quaedem mundi simul commoventur, et praevia quaedam lux eos praecurrit, ipsi vero pro magnitudine dominationis, magnitudinem splendoris prae se ferunt. Angelica lux et minor ex se et magis divisa, in daemonibus magis adhuc dividitur, nec eadem in iis semper deprehenditur magnitudo. Heroes adhuc minus quam daemones illustres, et majorem, quam eorum fert conditio, ostentant majestatem. Principum,

*) Jambl. de Myst. s. I, c. 13.

) Ibid. c. 18. *) Ibid. sect. II, c. 3.

cipum, qui mundanis speciebus praeficiuntur, valde magna et praetumida videtur moles, qui vero circa materiam distrahuntur, praetendunt simulacra non sine fastu. Animarum vero effigies inaequales et minores apparent quam heroum formae. — Deorum imagines quam plurimo splendore coruscant, archangeli lumine excellenti pleni sunt, angeli lucidum daemonum ignem turbidum prae se ferunt, heroes ex pluribus compositum, principes mundani purum, principes materiae ex dissimilibus et contrariis conflatum ostendunt, animae denique ignem produnt plenum, multis generationis admistionibus, eundemque divisum. *) Dii circa se vel Deos vel angelos adstantes habent, archangeli adsciscunt sibi alios angelos, vel praecurrentes, vel simul in eodem ordine consistentes, aut sequentes, sive etiam aliquam angelorum turbam, tanquam satellites. Angeli prae se ferunt opera, ordini suo, in quo sedent, congruentia, Daemones boni exhibent opera sua, et bona, quibus donant, conspicienda. Daemones ultores, suppliciorum varia genera ostendunt. Alii daemones cujuscunque generis pravi, trahunt secum feras noxias, sanguineas, et truculentas. Archontes provincias quasdam mundi secum in conspectum adducunt. **) Piget plura adscribere; est enim in his enarrandis admodum prolixus Jamblichus, singulaque, ac si vidisset cuncta, describit. Nihilo tamen secius rem propius intuenti apparet facile, fingendi eum indulgere libidini, omniaque ex opinionibus sectae praeconceptis comminisci. De luminis enim discrimine, de motibus animi, in spectante excitatis, multa differens, propriam cujusque formam prorsus silet, ne verbo quidem addito, sitne humana haec an belluina, rotunda, quadrata, aut alterius cujusque figurae, quod tamen scitu maxime est necessarium, ne in his decipiatur theurgus, et accurate quodlibet genus agnoscat. Callide tamen ab hoc abstinuit, ne ab aliis magis, aliter genios cerni affirmantibus, redargueretur, videbimus enim infra, aliter alios de spirituum formis existimare. Quae autem de ignis et lucis discrimine affert, quorum alius est divisus, alius indivisus, alius turbidus, splendidus alius, et sic porro, adeo sunt parum accurate definita, ut nihil prosint theurgo, nec satis etiam singulorum discrimina appareant. Totum denique hoc nititur opinionibus Platonicorum, de natura spirituum, quorum alii sunt aliis simpliciores, alii a materia magis puri, alii aliis universi partibus gubernandis praefecti. Ex quibus si quaeras, unde id spirituum discrimen constet; qui sciant, suum unicuique universi parti impositum esse genium aut Deum rectorem; quibus experientiis aut argumentis id demonstretur? quod respondeant non habent. Certis namque et dubio omni superioribus id non demonstratur, nec experientiis, nec argumentis a priori ex ipsa spirituum natura ductis, ut omnes norunt philosophi severiores. Quodsi ad experimenta magica provocent, circulum in demonstrando faciunt, quo nihil est philosopho turpius. Cum enim esse magiam demonstrent é natura spirituum singulis mundi partibus praepositorum: non licet iis e magicis experimentis probare, spiritus ejusmodi esse in rerum natura. Denique totus hic de spiritibus, mundi regionibus, et corporum generibus praefectis, locus ad figmenta dubio procul primae hominum barbariei, et somnia phantastica est referendus, ut infra pluribus demonstrabitur.

His in universum expeditis, ad praecipua magicae ac theurgicae artis genera descendit, primo loco agens de divinatione. Hanc fieri luminis divini in animum illapsu, existimat, quo collustrati futura cernamus, esse autem verum istiusmodi Dei illapsum, demonstrat ecstasi-

Jamblichi de divinatione et ecstasibus sententia.

R 2

*) Jambl. de Myst. s. II, c. 4. **) Ibid. cap. 7.

ecstasibus, quibus sensus exterior omnis cohibetur, ut ignem, vulnera, aliaque ejus generis non percipiant homines, Deo aditum iis ad animam intercludente. His addit, a Deo correptos illaesos saepe in ignem cadere, fluvios tranare, aliaque, quae hominum superant naturam, facere. *) At non sentiri ignem et vulnera non miratur, qui experientia duce ecstasium indolem accuratius novit, et epilepticos, catalepticos a rebus externis non affici, nec eos tamen afflari a Deo didicit. Quod autem attinet ad vim ignis, et aquae levitatem cohibitam, ne iis laedantur vaticinantes, id, pace Jamblichi et ejus similium dixerim, fictum est totum, nec ullo experimento certo comprobatum. Parum ergo his proficitur. Aliud praeterea argumentum ex ipsius ecstaseos indole petit Jamblichus, hanc enim supra vires esse humanas, nec proficisci ex animae nostrae natura; cum nihil queat hoc tempore anima peragere suorum munerum, alienoque impulsu cieatur tota. **) Sentiri talia haud equidem negaverim, at esse haec idonea satis divini afflatus argumenta, id vero pernego. Somniantes etiam colloqui cum aliis sibi videntur, nec e seipsis promere quae loquuntur, iidem a rebus extra se positis se affici sibi persuadent, quis ausit inde concludere, somnia forinsecus in animam illabi? Idem febricitantibus, furore correptis evenire quotidie videmus, quis propterea febrium deliria, aut ea, quae ex narcoticis proficiscuntur phantasmata, afflatum alienum agnoscere causam afferat? Nihil omnino est in ecstasibus, quo divina iis origo vindicetur, nisi aliunde discas, alieno te spiritu agi; ex sola ecstasium natura id nunquam satis demonstraveris. Plebeculae hae sunt opiniones, e rudi adhuc barbarie et ignorantia profectae; has magi et theosophi suscipiunt defendendas, has omnes mordicitus tenent, egregia profecto sapientia! digna Dei afflatu et origine divina sapientia!

Verborum vires mirificas explicare nititur Jamblichus.

Explicaturus deinde Jamblichus, qui fiat, ut audito cymbalorum et tympanorum sono aut melodia in ecstasin multi abripiantur, Corybantes v. g. Cybeles mystae; ad harmoniam, consensum et sympathiam tantopere magis adamatam confugit. Inter Deos, inquit, et carmina est cognatio quaedam, cum suum cuique Deo, pro cujuslibet ordine et potestate, fit consecratum carmen, congruens motibus harmonicis, quos in universo quilibet efficit; hi soni cum Diis sint gratissimi, praesentes eos sistunt. ***) Argumentum, non philosopho dignum ea aetate philosophante, qua post plura jam secula exculta erat disciplina logica, sed homine e barbarie vix emergente! Astrorum enim motus quis unquam demonstravit efficere sonos aut concentum aliquem? Fiunt praeterea motus et mutationes multae absque omni strepitu et sono, quid ergo his est commune cum sonis musicis? Quis denique unquam ausit hoc connexum probare: si Dii sonos quosdam efficiunt in corporum motibus; sonis delectantur et delectati alliciuntur? Nonne supra omne quod sensibus percipitur, supra sonum omnem, odorem, colorem, tactus aut gustus delectationem ipsi docetis esse omne divinum? Qui igitur horum obliti, subito ad voluptates sensuum delabimini?

Ecstasin longe ab insania distare Jamblichus contendit.

Nihil in omni hoc divinationis genere vehementius metuit Jamblichus, quam ne melancholiae, maniae, aut similibus mentis morbis ea adscribatur, quod ut removeat, ad ecstaseos naturam confugit, longe eam esse ab omni insania affirmans remotam, ut quae animum evehat ad superiora, verisque impleat. †) Hoc si verum esset, et satis demon-

*) Jambl. de myst. l. III, c. 4. **) Ibid. c. 6. 7.

***) Ibid. c. 9. †) Ibid. c. 25.

monstratum; totam conficeret rem; at vereor, ne contra se res habeat. Neque enim satis est, si quis semel aut bis, multis editis vaticiniis, dixerit verum, id quod casu potest omnino fieri, cum, qui semper jaculatur, necesse sit, ferire nonnunquam scopum, etsi sit jaculandi haud peritus. Vaticinia porro, quibus id demonstretur, clara, perspicua, nulla verborum ambiguitate debent esse involuta; obscura enim in diversas possunt trahi partes, ut, quicquid evenerit, videatur esse praedictum. Denique vaticiniis ut eventus respondeat accuratissime, requiritur, ne casui et fraudi locus relinquatur. Quodsi quis magiae patronus protulerit mihi vaticinia unius hominis, verbis claris, non ambiguis concepta, eaque demonstrarit omnia accuratissime eventum comprobasse: primus ego ecstasin laudibus, quibus possum, efferam, omnique virium contentione magiam defendam. Neminem autem arbitror prolaturum vaticinia in sacris litteris perscripta; de his enim disputantibus de magia, deque arte aliqua divinandi, humanis viribus exercenda, non est sermo; quae enim singulari quadam benignitate et ad universi salutem nonnullis Deus largitur, ex his nihil efficitur, quod magicis artibus faveat.

Spiritus non omnes magorum minis terrentur.

Hinc descendit Jamblichus ad diluenda, quae objecerat Porphyrius, magorum disciplinae absurda, quorum maximum dubio procul est, quod imperant daemonibus, iisque minas intentant. Est daemonum genus rationis expers et brutum, inquit, hoc ut nobis inferius, imperia accipit a nobis, hoc minis magorum terretur. *) Vel etiam, si hoc malueris, duplicem sustinet sacerdos et theurgus personam, alteram hominis, alteram Deorum superiorum, quibus amicus est et similis factus, quatenus homo est sacerdos, daemonas invocat tanquam superiores, quatenus Deorum gerit personam, iis imperat. **) Nihil profecto fingi absurdius potest, his spiritibus brutis, ab homine, qui genus id omne esse inter homines et Deos medium antea docuit, nihil absurdius dici ab eo, qui animas a corporibus sejunctas, aliis spirituum generibus affirmavit esse inferiores, adeoque animas corporibus inclusas necesse habet infra has collocare. Quodsi porro theurgus personam gerit Dei, majori longe jure spiritus isti eandem gerunt, utpote qui magis sunt a materiae faecibus purgati; aut, quid attinet, Dei cum gerat personam, precibus eos flectere, sacrificiis allicere, qui potest imperare?

Daemones quare, quibus interdicunt hominibus, delectentur ipsi.

Magis adhuc constrictum sese sentit Porphyrii argumento, quo absurdum arguebatur esse, daemonas ac genios, puritatem, castitatem, justitiam, aliasque cultoribus injungere virtutes colendas, et nihilo tamen secius iisdem in rebus virtuti repugnantibus opitulari, sanguine et animalium carnibus, quibus interdicant theurgis, ipsos delectari. Hic ad ultimum tandem recurrit refugium, quo nescio an dici stultius quicquam possit, ut aliam esse Deorum, aliam nostram, affirmet justitiam. ***) Hoc semel admisso, desinamus de naturae divinae perfectionibus multa differere, omnis nostra theologia, quaecunque de poenis aut praemiis post mortem dicuntur, quaeque Platonici etiam ipsi differunt, in inanes abeunt nugas.

Vocabulorum sensu carentium et barbarorum potestas.

Sacrificiorum efficaciam postquam ex eadem repetiit sympathia et harmonia, de qua supra satis jam est dictum, transit tandem ad vocabulorum vim. Nomina, inquit, sensu carentia, a Diis intelliguntur optime, etsi nos eorum sensum non perspiciamus; barbara autem Aegyptiorum,

*) Jambl. de myst. s. IV, c. 1. **) Ibid. c. 2. ***) Ibid. c. 4.

tiorum, Assyriorum aut aliorum adhibentur vocabula, quod horum sermonem totum Dii sacrum judicarunt. *) Nomina porro non ex arbitrio hominum, sed naturae ductu, et propter cognationem cum rebus ipsis, sunt iis indita, adeoque Diis cariora, quae recepta semel sunt, et temporis diuturnitate comprobata. Haec ergo cum aliis non debent permutari, ob eandemque causam gentium sacrarum lingua ceteris est praeferenda; haec etiam vocabula, simul alia iis ejusdem significationis substituuntur, vim amittunt. Barbara insuper nomina emphasi aliqua pollent et brevitate. **) Nititur tota nominum vis eadem, qua cetera, cognatione, harmonia, sympathia, adeoque haud firmiori stat talo. Quam enim est ridiculum, Deum fingere, adeo infanti aut cuilibet de plebe homini similem, ut certos prae ceteris sonos diligat, adeo auribus praeditum superbis, ut, licet eadem sentias, eadem sis animi rectitudine, simul vocabula usurpes praeter ea, quae semel huic rei sunt consecrata, te non audiat? Emphasis autem nominum non est ipsis intrinseca, sed pendet a notionibus aut ideis sociis et consuetudine tota, ut hac ratione nullum alteri antecellat vocabulum.

De ascensu ad Deum sententia Jamblichi.

De ascensu tandem ad Deum sic noster philosophatur: nos homines ante hanc vitam Deum contemplati sumus et intuiti; eoque ipso felicitatis verae fuimus participes; ingressi autem in hunc mundum a Deo sumus sejuncti: ut igitur recuperemus beatitudinem priorem, nihil superest aliud, quam ut Deos cognoscamus, vincula inde nos arcentia exuamus, animamque Deo rursus uniamus. Id autem paratur arte theurgica, quam jure portam voces et aditum ad omnium opificem et auctorem. ***) Haec, postquam junxerit animam mundi partibus singulis, et totis potestatibus divinis per eum expansis: omnium opifici eam sistit, ab omni materia eam sejungens, Deoque et rationi aeternae eam intime copulat. †) Satis quidem dici haec probabiliter videntur, splendidaque sese specie commendant, id quod haud parum profecto valet ad irretiendos homines imperitos, sibique parum caventes. Cupiunt homines, insita ingenio arrogantia, praecipuum aliquem inter hujus universi naturas tenere locum, et libenter audiunt, a loco sese superiori delapsos, ad cujus recuperandi spem eriguntur. Mire haec nobis blandiuntur, tum quod longe, his admissis, nobis videmur majores; tum quod majora, quam quae animo concipimus, nos adepturos speramus. Egregie hoc loco utuntur theosophi etiam recentiores, qui tamen, re accuratius perpensa, lubricus est, et in inanem abit verborum pompam. Ubi enim quaesieris ex his, qua ratione demonstrent, nos e loco altiori esse dejectos, Deoque olim fuisse proximos: nihil habent praeter emanationem omnium rerum e Deo, cujus absurditatem et impietatem satis supra demonstravimus. Quin ne hac quidem posita, quod cupiunt, efficiunt: emanarunt enim e Deo, fatentibus ipsis, plures rerum ordines, alii aliis superiores; qui igitur probabunt, altiorem nos olim locum tenuisse? Quodsi ad sacrarum provocent litterarum auctoritatem, ne ea quidem magnopere iis proderit: nihil namque inde constat amplius, quam beatiores fuisse homines primos, sanctiores, ingenio plus valuisse; non autem in ordine rerum creatarum Deo ipsi fuisse propiores, aliisque naturis spiritualibus longe nobiliores.

Cap.

*) Jambl. de myst. s. VII, c. 4.

**) Ibid. s. VII, c. 5. Eadem docet etiam Origenes contra Celsum I, p. 18. sqq. docet etiam Pseudo-Aristotelis de secretiori parte divinae sapientiae secundum Aegyptios liber, dubio procul ab Arabe aliquo scriptus, totus Platonicorum recentiorum hypothesibus refertus. lib. VI, c. 2. sqq.

***) Ibid. s. X. c. 5. †) Ibid. c. 6.

Cap. III.

DE DEFENSORIBVS MAGIAE POST JAMBLICHVM.

Libri Salomonis magici.

Pauca hoc loco de magicis Salomonis libris videntur eſſe dicenda, quorum hactenus mihi innotuerunt tres, primus Semiphoras et Schemhamphoras, alter Clavicula Salomonis dictus, ambo rariſſimi, tertius officium ſpirituum, vel liber officiorum ſpirituum, ſeu liber dictus Empto Salomonis, de principibus et regibus daemonum, qui cogi poſſunt divina virtute et humana, a Wiero pſeudo-monarchiae daemonum titulo, operi de praeſtigiis daemonum inſertus. Hi omnes Salomonem profecto non agnoſcunt auctorem, cum religionis Chriſtianae faciant mentionem, ſintque adeo a Chriſtianis, temporibus compoſiti diverſis. Ac Schemhamphoras quidem cum Clavicula, vocabulis utuntur Hebraicis, indeque tertio videntur ſeculo antiquiores, ab Judaeo forte profecti auctore, interpolati a Chriſtianis, ut adeo horum forte alterum, aut utrumque viderit Origenes; liber vero officiorum vocabula uſurpat peregrina, neſcio cujus linguae, hunc adeo aevo medio ab Arabe aliquo putem exaratum. Nituntur omnes ſuperſtitionibus aſtrologicis, daemones, quorum opera mira promittunt, rerum omnium cognitionem accuratiſſimam, litterarum omnium et artium peritiam, metallorum mutationem, futurorum ſcientiam, quaeque alia magni inter homines fiunt, quin regnorum etiam everſionem, nulli ſunt alii a planetarum rectoribus, id eſt, geniis planetas moventibus, ut aperte ſatis libri ipſi produnt. Ab his quanquam diſcedere videatur liber Empto, aperte de planetis nihil tradens, eo tamen ipſa eodem revolvitur, daemones enim ibi commemorati ſunt mundi rectores, qui certas globi terraquei regiones et provincias ſunt ſortiti, quique evocari, niſi certis diei horis, adeoque, niſi certo ſiderum poſitu, nequeunt. De aſtrologorum hiſce ſomniis infra diſſeretur, id modo e Salomonis libris nunc afferamus, quod ad artis totius intelligendam vanitatem pertinet. Ac principio de daemonum nominibus non convenit inter hos auctores, alii aliis utuntur; qui itaque conſiſtit hoc cum efficacia nominum quorundam, quae ſemper eſſe ſervanda magi omnes praecipiunt? Deinde nec in formis daemonum conſentiunt auctores: Jamblichus certam iis nullam tribuit figuram ac ſpeciem, liber Empto beſtiarum monſtroſiſſimarum eos ſpecie affirmat apparere, v. g. Agares dux primus ſub poteſtate orientis apparet benevolus in ſenioris hominis forma, equitans in crocodilo et in manu accipitrem portans. Barbas, alias Marbas, praeſes magnus, ſe manifeſtans in fortiſſimi leonis ſpecie. Amon vel Aamon, marchio magnus, prodit in lupi forma, caudam habens ſerpentinam et flammam evomens; hominis autem indutus ſpeciem, caninos oſtendit dentes, et caput magno nycticoraci ſimile. Bathym, alibi Marthim, dux magnus et fortis, viſitur conſtitutione viri fortiſſimi cum cauda ſerpentina, equo pallido inſidens. *)

De iis, qui sagas efficere multa ope diaboli sibi persuaserunt.

Ex omnibus hiſce ſatis apparet, nihil hucusque effectum eſſe argumentis omnibus, quibus magiam homines conati ſunt defendere, nihilque ab iis eſſe prolatum, cui cautus et prudens rerum aeſtimator fidem ſatis tuto poſſit habere. Videamus jam, an certiora attulerint, qui pro magia, ſummo ſtudio conquiſitis, quaecunque opem exiſtimabant ſibi ferre, argumentis, pugnarunt, ſeu lucri cauſa, ne abolerentur ſagarum ſupplicia, unde multum ad eos redibat pecuniae; ſeu pietatis quodam fervore ducti, ut delerentur

ſundi-

*) Wier. de praeſt. daemon. p. 914. Baſil. 1583.

funditus superstitiones diabolicae. Multa sunt ea tempestate in partem utramque scripta, ut, si magia potuit unquam defendi, defensam tum esse, atque extra omnem dubitationis aleam positam, facile largiare. Nec agebatur sagarum modo causa, ut intercedere iis aliquid cum diabolo commercii demonstraretur; sed de omni fere magia disputabatur, ut quae stare, cadente magia diabolica, vix posse videtur. Quodsi enim constat, incantamenta, veneficia, amuleta, verba, pacta cum cacodaemone, seu expressa, seu tacita, omniaque, quae magiae huic generi tribuuntur, esse nulla, nihil posse genios malos in homines, aut corpora sub luna: geniorum simul bonorum, seu angelorum potestas tollitur. Ut enim negare tibi liceat, diabolis nullam esse haec efficiendi vim, neganda sunt incantamenta, veneficia et id genus alia cuncta, quorum si quicquam reliqueris, dari incantationes, aliaque naturae leges superantia, et a spirituum efficientia profecta, concedens; cum incertum sit semper, a bonis, an malis ea spiritibus sint perpetrata: tollere cacodaemonis omnem in haec inferiora potestatem tuto tibi non licet. Quanquam autem plurimi, interque eos sat prolixi hac de re exstant libri; disputatio tamen ipsa haud admodum est prolixa, eadem chorda oberrantibus fere cunctis, iisdem utentibus argumentis, exemplorum modo et varietate eorum, quae experiundo sese dicebant didicisse, a se invicem sese distinguentibus.

Quod affertur ab his de miraculis majorum, id nihil est.

Ut ergo efficiant esse magiam, provocant ad experientiam; multa faciunt magi, quae nullo modo effici possunt per causas naturales, sed necessario referri debent ad aliquas substantias incorporeas, quae occulte cum ipsis magis, et pro ipsis operantur. Magi enim nonnunquam faciunt statuas e ligno, vel alia materia factas, nullo extrinsecus impellente, moveri ex se, motu progressivo et humano, quin etiam loqui, et respondere ad quaestiones de variis rebus propositas — Deinde magi quaedam manifestant occultissima, et quae ratione humana nota iis esse non poterant, veluti furta clam facta, thesauros alicubi reconditos, res quae in remotissimis regionibus geruntur, denique praedicunt quaedam futura. — Ad haec supra omnem naturae corporeae est potestatem illud, quod nonnunquam magi faciunt, ut ad eorum praesentiam, et fores, et alia loca, quae clausa sunt, repente pateſiant etc. *) Sunt haec de genere eorum, quae facere sese magi gloriantur, quaeque credulis ac simplicioribus facere sese haud raro persuadent, quae rumoribus feruntur vulgi, et in libris magiae patronorum sunt perscripta, quorum tamen auctorem idoneum frustra ubique quaeras. Nullum, quod equidem sciam, exstat testimonium fide dignum, quo praestitisse istiusmodi res magum ullum, rite conficiatur, nulla auctoritas, cui non desit, quod maxime ad fidem faciendam requiritur, quaeque tantum habeat ponderis, quo eleventur dubia omnia, jure in re, naturae ordinem communem et experientiae quotidianae limites excedente, ab accurate rem investigante movenda. Haec ergo similesque loci communes trahunt nullum momentum, afferendum est exemplum, aut unum aut plura, testibus idoneis fultum, si credi sibi volunt, dari magiam revera.

Humani generis consensus magiam haud magnopere fulcit.

Alii melius sibi consulturi, ad generis humani confugiunt et omnium aetatum consensum; **) eodem ferme modo, quo e consensu gentium, Deum esse, satis existimabant majores posse demonstrari. At ex quo Baelius sub examen accuratum vocavit hoc argumentum,

*) Perer. de magia I, cap. 4.

**) Merklin de Incantamentis praefat. fol. 3.

mentum, nihilque ei inesse roboris demonstravit luculentissime, desertum est plane a philosophis recentioribus. Quodsi constaret, fieri non posse, ut totum genus humanum erret; haud parum ei argumento esset tribuendum: cum autem demonstrari contra possit, non posse non temporibus quibusdam et aetatibus errare genus humanum, idque perinde sese habere, ac homines singulos, quos per aetatem puerilem et juvenilem necesse est in errores incidere multos, immo in omnibus errare, quae sensu ipso non percipiuntur; nihil ei ponderis relinquitur.

Gravius omnino est, quod de sagarum confessione plurimi afferunt, cui, nisi ab initio statim tibi caveas, cogeris succumbere. Est enim earum, quae per aerem sese vectas, sagarum coetibus nocturnis interfuisse, tempestates ac tonitrua excitasse, morbos gravissimos incantamentis, aut rebus sub terram defossis, homines et pecora afflixisse, quaeque sunt his affinia, perpetrasse non negarunt, numerus pene infinitus. Quae cum sint coram judicibus, viris gravissimis, et testibus haud paucis facta; quin vera sint, nequit dubitari. *) Accedit, quod multae sponte, nulla adhibita vi, nullis fidicularum doloribus, eadem narrarunt, et quod maximum est, multae ab aliis in itineribus per aerem, saltationibus et conviviis nocturnis, sunt visae. **) Plenus est his exemplis Bodinus, plenus maleficarum malleus; quae afferre singula nihil attinet. Hoc in loco exsultat, immo triumphatur pene defendentium magiam oratio, tanta dicuntur singula testium auctoritate, tanta rei publice ac saepissime actae fide, ut ad silentium pene redigatur praefractissimus etiam magicae artis adversarius, utque, si singula ei suo narrentur ordine, nec idem aliunde ejus rei hauserit cognitionem accuratiorem, de sententia eum dejici sit necesse.

Ad sagarum confessiones provocatur.

Prius itaque quam superari nos sinamus ab hisce argumentis, rem propius inspiciamus. Ac quod ad judices quidem attinet et inquisitores, avaritia ductos saeviisse in miseras aniculas, ut bonis eas exuerent, indeque lucrum facerent, ab aliis praeclare est notatum. ***) Qui interfuerunt porro judiciis de sagis habitis, ordinemque quaerendi curiose observarunt, coactas affirmant mulierculas miseras, fateri, quaecunque cupiebant judices; fuit namque inquirendi modus is, ut, donec narrarent, quae narrari volebant judices, torquerentur; ut accusatoribus levissimis fides haberetur, nec liceret exceptionibus uti reis adversus eos, qui suspicionibus aut ementitis coetibus sagarum nocturnis, hominibus aut pecoribus casu aut alia de causa mortuis, adversus eas agebant. Simul enim rea aliqua esset delata, judices bonis miserae inhiantes, aut nimio pietatis ardore accensi, pro certo sumebant, culpa eam non vacare, indeque fidiculis omnique tormentorum genere saeviebant, donec ad singula respondisset affirmando. †) Hinc factum, ut omnes idem fere dicerent, essetque tantus inter sagarum confessiones consensus, eadem enim ubique ex iis quaerentes, eadem eas fateri cogentes, judices, nihil plane mirum, si ubique eadem fere apparet hujus superstitionis facies. Quam qui tenet, huic consensui, qui mirus

Haec omnia propius considerata evanescunt.

*) Merklin. de Incantat. praefat. fol. 4.

**) Thummius tractat. theolog. de sagarum impietate p. 32.

***) Reginald. Scot, Discovery of Witchcraft I, 8. Hutchinson Versuch von der Hexerey p. 91.

†) Ibid. II, c. 1. Spee Cautio Criminalis in process. contra sagas. Wahtlieb Nichtigkeit der Hexereyen. p. 41, 44, 45.



mirus alias videretur, nec ponderis minimi, nihil omnino tribuet. *) Nec majoris sunt momenti, quae de sagis in itinere nocturno visis afferuntur nonnunquam a Bodino et mallei maleficarum auctoribus; cum Bodino nihil afferenti de suo, hominique aut anicularum instar credulo, aut nescio qui, sagis praeter rem infenso, nihil sit auctoritatis aut fidei relinquendum. **) Accedit, quod sagae, vel ipso fatente Bodino, ***) et teste experientia omni, e carcere nequeunt evadere, fictumque est adeo, quod de iis per aerem iter facientibus, per clausa omnia penetrantibus, aut ea radicibus, verbis, aliave ratione aperientibus, passim a credulis scribitur. Non desunt tamen sibi hac in causa magiae propugnatores, Deum dicentes non permittere diabolo, ut justitiae prohibeat exercitium, poenaeque subducat suos. At qui quaeso id norunt? an Dei forte consilio interfuerunt, de sagis quid decerneret secum agitantis? Aut naturae divinae ejusque justitiae parum iis videtur congruere, si diabolo fiat potestas, asseclas modo quocunque a meritis poenis defendendi? Id si justitiae repugnat divinae, indeque tantum effici putant daemonographi, sagas in carcerem semel conditas, nec elabi posse, nec veneficiis nocere judicibus; haud satis videntur sibi prospexisse. Justitia namque divina non minus postulat, bonos et pios defendi ab improborum et impiorum maleficiis clandestinis, diabolo non fieri copiam per has laedendi, morbis et infortuniis affligendi, quoscunque voluerint; quam patrato semel facinore, noxios, ne poenam subterfugiant, impedire. Mihi quidem praestare omnibus modis videtur, crimina et scelera ne patrentur prohibere, quam patrata ut puniantur curare.

Testium fides vacillat.

Nec accusatoribus et testibus in hoc judiciorum genere fidei plus est habendum; multos enim odium, invidia, avaritia fictis criminibus onerasse constat immerentes, †) id quod fieri eo facilius poterat, immo propter insitam multis pravitatem non fieri non poterat; cum in ipsam accusationem non inquireretur a judicibus, quae deferebantur, statim fundamenti loco substernentibus, nominibusque levissimis fidem habentibus. Quae autem non ementiebantur homines, et bona fide ad judices deferebant, ea credulitati debent originem; morbos enim haud paucos metui et phantasiae vehementi constat deberi, plurimosque ab incantatione sibi metuentes, aut incantationum minis territos, in morbos revera incidisse, exemplis est demonstratum. ††) Quae denique casu et aliis de causis eveniebant calamitates, infirmitates, morbi, praecipue ubi rari essent, et miri quid haberent, ea superstitio communis sagis statim imputando, et de inveniendo homine idoneo, cui per rumores vulgi aliaque levissima, haec tuto liceret tribuere, modo sollicita, facile inveniebat, in quam aut quem cadere ea posse videretur.

Ne voluntarea quandem sagarum confessio rem satis demonstrat.

Quod denique in tota hac causa maximi est ponderis, sponte multas esse sese sagas fassas, id facile etiam expeditur. Aliae enim mentis alienationem melancholicis passae morbis, sagas sese et cum diabolo inisse pactum sibi persuaserunt; etsi nihil ei rei subesset veri,

*) Wahrlieb Nichtigkeit der Hexereyen p. 46, 48. sqq. Fr. de Cautz de cultib. magic. II, c. 1. §. 2. sqq., qui in plurimis sequitur Speum, id est, rationem sanam.

**) Hauber. Bibl. Mag. T. I, p. 534.

***) Bodini daemonomania III, c. 2, 4.

†) Hutchinson Versuch von der Hexerey p. 236. Hauber. Bibl. Mag. T. I, p. 71.

††) St. André Briefe von der Zauberey p. 84. Wier. de praest. daem. V, c. 18.

veri, id quod exemplo lectu dignissimo docet Reginaldus Scotus. *) Aliae, quarum numerus longe major, cupientes in sagarum esse numero, et voluptatum nocturnarum esse participes, initiari sese his sacris jusserunt, indeque sagas sese esse revera sibi persuaserunt, ut bona fide reas sese faterentur. Hae ab aliis doctae, quae in conciliis nocturnis agerentur, et essent ipsis agenda, perunctae unguento magico, vehi sese per aerem, in bestias mutari, interesse conviviis nocturnis, aegri cerebri somniis in res veras mutatis, sibi persuaserunt. Usas autem unguenti quodam genere sagas e narcoticis facto, nec Bodinus negat; **) alii probarunt haud pauci, cumque ante iter ad coetus nocturnos susceptum solerent sese eo perungere: jure hinc intulerunt, esse totam rem nihil praeter phantasiae vehementius commotae lusum. Quod quo cognoscerent evidenter, experimento rem insuper roborarunt, sagas carceri inclusas, ut susciperent iter nocturnum, hortantes, easque viderunt in lecto aut scamnis dormire profundissime, corpore modo, quasi equo veherentur, agitato. ***) Nec obstat, quod vehementer contendit Bodinus, multas nullo adhibito unguento, ad concilia sagarum nocturna traduci; quarum enim phantasia, aut suapte natura magis est efficax, aut usu diuturno ei rei magis assueta, hac unguento non egebant. †) His omnibus addenda denique exempla fraudum, in judiciis de sagis adhibitarum, et errorum, in quos induci sese judices sunt passi; ab ipsis etiam judicibus, quotiescunque boni fuerunt viri, nec opinionibus praejudicatis occoecati, sua auctoritate confirmata. ††) Addendum praeterea, quae experiundo nonnulli didicerunt, incantationibus, aliisque caerimoniis magicis nullam inesse vim. †††) Addendum denique, quod inficiari ne Bodinus quidem potest, sagas egenas semper esse, adeoque nihil ad eas artibus hisce redire lucri, *) quae si haberent adjutorem diabolum aut daemonem, si possent, quaecunque se posse gloriantur, suae ante omnia mederentur inopiae. Jam quotiescunque magus aut saga abundare opibus, aut crescere divitiis est a vulgo creditus, re accurate investigata, perspectum est semper, quod de Furio Ctesino tradit Plinius, eum opibus auctum, et maleficiorum accusatum, demonstrasse, suae eas deberi industriae. **)

Quo plus adderetur argumento, ab auctoritate et rerum gestarum fide ducto, ponderis, ad sacras etiam litteras, et patrum testimonia omnes fere confugerunt. Ac praeter ea, quae de Aegyptiorum magis refert Moses, Sauli necyomantiam, et leges divinas contra omnis generis magiam in partes vocarunt. ***) Tantum apud superioris seculi scriptores valuit hoc argumentum, ut uno ore omnes, quin et qui magiam sagarum gravissimis rationibus oppugnabant, †) aliquid posse

Argumentum e sacris litteris petitum.

*) Reginald. Scot. Discovery of Witchcraft III, 10.

**) Bodin. daemonom. II, 2. 3.

***) Gödelman. de Magis II, c. 4. p. 37. sqq. St. André Berichte von der Zauberey p. 160. sqq. Wier. de praest. daemon. III, 17.

†) Mallebranche de la Rich. de la Verité II, ch. 6.

††) Hutchins. Versuch von der Hexerey p. 107. sqq. St. André Briefe von der Zauberey p. 175. sqq. 194. sqq.

†††) St. André p. 50. Hutchinson p. 186.

*) Bodin. daemonom. III, 2.

**) Plin. XVIII, 6.

***) Anton de Haen de Magia C. I. Pererius de Magia I, 6. sqq. Binsfeld de Confessionib. Maleficor. p. 61. sqq. 95. sqq. Delrio disquisit. Mag. II, p. I. de Pythonicis mulieribus p. 36. sqq.

†) Wier. de praest. daem. praef. II, c. 5. III, 17.

se diabolum et malos genios, et exstitisse foederis antiqui temporibus magiam, concedendum sibi putarent. Tantum valet hodieque argumentum idem, ut quos aliis rationibus facile avertas a magia, hoc tamen solo, quo minus victi omnino dent manus, cohibeantur. His non contenti alii, daemonologiam studuerunt locis, e litteris sacris undique congestis, inaedificare, et postquam demonstrarunt inde, daemonas et angelos de loco in locum semet movere, movere etiam corpora posse, quaeque sunt alia his affinia: *) fidem hinc adstruere omnibus, quae de magis feruntur, indeque magorum explicare miracula sunt conati. Qui enim negabant posse spiritum corpus movere, adeoque posse spirituum opera magos miracula edere; **) hos abunde his existimabant refutatos.

In adhibenda sacrarum litterarum auctoritate summa opus est circumspectione.

Hujus argumenti vis ut rite ponderetur, haec equidem censeo probe consideranda: litteras sacras hodie constat non esse eum in finem a Deo hominibus datas, ut norma sint et regula omnium disciplinarum, indeque omnis nostra petatur scientia, omnis hauriatur de rebus physicis aut metaphysicis doctrina; id quamdiu olim est existimatum, litterarum et scientiarum incrementis obstitisse quam maxime, praejudicia plurima aluisse, hominesque ab investigatione curiosa causarum et effectuum naturae deterruisse; eo abjecto litteras mire crevisse, multisque inventis praeclarissimis disciplinas praecipue physicas esse auctas. Quid? quod, nisi eadem persuasio hodieque multos retineret, libertatique philosophicae obstaret, exueremus profecto nonnullos errores residuos, magnaque philosophia caperet incrementa. Ex quo tamen experimentis astronomorum effectum est, ut diem noctemque non effici solis circa terram rotatione intelligerent homines, utque multa alia in sacris litteris obvia, non ferre interpretationem, quam verba ipsa suggerunt, est perspectum; persuasum tandem est hominibus: peti interpretationem librorum sacrorum ex ipsa rerum natura accurate indagata debere; sermonem ibi adhiberi simplici et rudi antiquitati, notionibusque hominum litteris nondum politorum, congruentem; non posse proinde saepissime inde concludi aliud, quam ea tempestate, qua scripti sunt libri singuli, hanc vel illam de rebus opinionem hominum animis insedisse. Quo cognito, quod ipsi interdum fatentur etiam ecclesiae patres, res sic est instituenda: quae experientia constans et ratio nos docent de rebus quibuscunque, inquiramus primo loco, indeque sensum librorum sacrorum, ubi dubius est, et pluribus obnoxius interpretationibus, constituamus. Cum itaque nec experientia teste, nec ratione duce esse revera artes magicas constet, aut posse daemonas aut angelos in patrandis miraculis homines adjuvare: litterarum sacrarum sola per se auctoritas adhiberi huic demonstrando jure nequit.

De miraculis ab Aegyptiorum magis editis quid sentiendum.

De Aegyptiorum igitur magis, et legibus divinis contra magos latis, ita videtur sentiendum: existimavit Moses artes magicas multa posse, cumque Aegyptiorum magi praestigiis serpentes et ranas procreassent, et aquae aliquantum rubro colore induissent, quod qua ratione sit factum, praestigiatoribus hodiernis Philadelphiae similibus relinquo definiendum; Moses cacodaemonis aut artium aliarum ope credens id effectum, in litteras ita retulit, ut sua ferebat opinio. Leges autem, contra magiam, quam dari nemo tum temporis dubitabat, ea mente sunt latae, ut a rebus vanis et inanibus cohiberentur homines, unde facilis erat ad idololatriam et superstitiones gentilium via; utque adeo a veri Dei cultu his sese alienari homines ne paterentur. Quodsi cui displicuerit haec ratio, en

*) Perer. Bensfeld. l. c.

**) Beker bezaubette Welt. Wier.


en aliam, quae magis forte ſit ad palatum: ut miraculis interdum veris uſus eſt Deus ad efficienda, quae aſſequi naturae viribus ſatis commode non poterat; ita malorum ſpirituum opera uſus nonnunquam videtur, quo magis verorum eluceſceret miraculorum ſplendor; ideoque cacodaemoni poteſtatem fecit, mira quaedam patrandi, qua praeter hanc Dei conceſſionem non gaudet. Quodſi enim daemones aut angeli vi ſua mira poſſent edere, experientia id certe, idoneisque conſtaret argumentis. Jam quae in ſacris litteris leguntur magiae exempla, hujus ſunt omnia generis, nec licet nobis ex eo, quod factum eſt interdum Deo permittente, id fieri ſemper, fieri hodieque, concludere. Magiam autem omnem legibus vetuit Deus, ne homines arti vanae navarent operam, et quae raro fiunt, poſſe ſe ſemper efficere ſibi perſuaderent. Ad patres autem eccleſiae quod attinet, eorum auctoritas pondere non ſuperat cujusvis alterius hominis fidem, eaque adeo ex iis, quae experti ſunt ipſi, aut ab aliis fide dignis acceperunt, metienda. Jam nemo eorum dedita opera, et examine adhibito accurato, in ea quae ferebantur de magia, inquiſivit.

Argumentum ab obſeſſis petitum.

Supereſt aliud adhuc argumenti genus, quo magiam diabolicam ſtuduerunt nonnulli defendere, idque haud infimum ſpecie prima. Sagae ac malefici morbos inferre hominibus vulgo perhibentur, idque revera ita ſeſe habere conſtat vel inde, quod morborum ſunt quaedam genera e cauſis phyſicis non orientia, quibus affecti ea perpetrant, quae fieri ab hominum nemine, niſi a daemonibus adjuto, queunt. Referenda huc prae ceteris acus, ferri aut ollarum fragmenta, ranae, lacertae, aliaque id generis per vomitum ab aegris ejecta, acus e brachiis aut aliis corporis partibus, quo deferri a cauſis phyſicis nequeunt, extractae, corporis agitatio et convulſio mira, quo in ſublime aegri interdum elevantur, et ferri per aerem videntur, abſtinentia ab omni cibo potuque per dies complures, absque ullo corporis detrimento tolerata, vires humanis aut aliis conſuetis longe majores, quaeque alia ſunt argumento, daemonas a magis hominum corporibus eſſe immiſſos, id quod aegri, exorcismis praeſertim coacti, fatentur et ipſi. Quod ſi itaque cacodaemones in hominis intrant corpus, ſi a magis eo mittuntur; multa eos praeter haec poſſe in noſtra hac ſub luna regione, adeoque non omnem magiam eſſe vanam, recte concluditur.

Nec huic argumento vis ulla ineſt.

Multa hanc in rem ſolent a magiae patronis afferri exempla, eaque adeo certa, ut negari plane nequeat fuiſſe, in quibus ejusmodi morborum phaenomena ſint obſervata. Prius tamen quam quicquam ulterius de his definiamus, in duo haec exempla ſunt genera diſpeſcenda; alia enim narrantur ab hominibus, accurate in omnia, quae ibi cernebant, ac ſtudioſe non inquirentibus, nec artis medicae, fraudumque humanarum ſatis peritis. Hi miraculo rei in ſtuporem acti, in majus omnia auxerunt, multa aliter ac evenerunt, viderunt aut audierunt, et quanquam boni alias fuerint viri, nec ad credenda omnia nimis proni; occupati tamen ſemel opinione, diabolum ibi omnia agere, huic neſcii et inviti cetera accommodarunt, taliaque viderunt multa, qualia rumor et plebis credulitas ſingula finxerat. His itaque in omnibus fides non eſt adhibenda, detractis autem, quae fieri per leges et vires naturae nequeunt, nihil ſupererit amplius, quam quod in aliis etiam, licet rarioribus, morbis experientia demonſtrat. Alterum genus eſt eorum, qui accurate, ſummoque ſtudio in omnia inquiſiverunt, nihilque ſibi propoſuerunt narrare, niſi quod ſatis haberent compertum, et in quo ab omnis erroris periculo ſeſe arbitrarentur



tur esse tutos. Jam quicunque ita sunt hac in re versati, semper pronuntiarunt, qui obsessi perhibebantur, eos aut morbo laborare melancholico, aut convulsionibus esse obnoxios, aut quod pessimum, de industria fraudes texere, ac ultimum quidem genus esse frequentissimum. Quod attinet autem ad vires humanis majores, et motum per aerem, haec sese nunquam vidisse, quin qui tantis ferebantur viribus praediti, eos sese compescere facile potuisse; ranarum, acuum et similium vomitum fieri fraude, qua e manicis ea excutiantur, aut in ollam ante clam condita, proferantur; verbo, quaecunque ad demonstrandum adhibentur diaboli hac in re ministerium, fraudibus omnia deberi; haec sese non suspicari aut opinari, sed experimentis certissimis didicisse. *) Quae cum ita sint, cumque inter exempla morborum diabolicorum pro certis venditatorum nullum sit, quod testimonio viri medicae artis satis periti, satis cetera cauti, et accurate satis ac diu in rem inquirentis confirmetur: concludere sine temeritate licet, totum id esse nihil. His argumentis, quibus nemo facile resistet, cui sanum sinciput, quique in aestimando rationum pondere, non omni prorsus destituitur sensu communi, effectum denique est, ut tota haec magia plebeja ejiceretur e coetibus hominum non plane rudium litterarum, aut cetera ab omni ingenii cultu prorsus abhorrentium, exulatum missa in vicos et pagos remotiores ab urbium commercio, ubi inter rusticos simpliciores, infimamque plebem adhuc viget, et donec ignorantiae quicquam et credulitatis supererit, semper vigebit, nunquam, nisi nova barbaries ingruat, inde emersura.

Qui magiam tuentur philosophicam, suo se gladio jugulant.

Ne tamen exulis locus relinqueretur vacuus, non ferente hominum natura, ut omnem stultitiam statim exuant, aut simul, (solent namque homines adulti, infantum instar, cohibito aut emendato errore uno, prolabi statim in alium ei affinem:) irrepsit in eum sensim alterum magiae genus theosophicum et Cabbalisticum, quo morbo adeo nostra laborat aetas, ut, ni mature succurratur, et philosophiae, unde cognomentum trahere hoc seculum affectat, auxilio resipiscamus; in aliam priori nihilo meliorem ruamus superstitionem. Qui hujus susceperunt patrocinium, non eadem omnes ratione causam agunt: aliis Dei solius auxilio mira nos posse patrare affirmantibus; aliis, genios etiam inferiores, id est angelos; aliis denique, mundi animam in partes vocantibus. Quo ipso satis jam constat, totam hanc artem esse nullam: quodsi enim unquam ullus de genere hoc magorum effecisset aliqua naturae vires superantia; dubium superesse de adjutore nullum posset. Nec dicere etiam licet, alios Deum ipsum, alios angelos, alios animam mundi in patrandis miraculis adjuvare; cum horum unus sufficiat adjutor, nec sint entia praeter necessitatem multiplicanda. Quod autem majus est, eorum, qui tanto studio magiam sumserunt defendendam, et qua ratione magicae vires sint comparandae, docuerunt, nemo sese edidisse aut edere posse miracula asseverare est ausus, suntque adeo hi omnes coeci, coecos conantes docere.

Reuchlini argumenta ponderantur.

Joannes Reuchlinus inter Cabbalistas nova quadam ratione magiam defendit ita: Dei, rerumque aliarum, nec non spirituum natura, ratione humana sibi relicta agnosci nequit; **) quae proinde a majoribus sunt tradita per manus, iis praecipue, quorum auctoritas,

*) St. André Briefe wider die Hexerey p. 118, 120. Hutchinson Verf. von der Zauberey p. 236. sqq. Semler Abfertigung der neuen Geister. Beckers bezauberte Welt. Hauber. Bibl. mag. passim.

**) Reuchlin. de arte Cabbalist. I, f. 5. sqq. II, fol. 24. sqq.

tas, testibus litteris sacris, est maxima, quique plurimum cum Deo sunt et angelis versati, iis fides adhibenda. Cum itaque hae traditiones, a Judaeis studiose servatae, maximoque semper in pretio habitae, doceant, esse Deum inter et homines commercium intimum, cujus ope miracula patrentur; id pro certo ponendum. *) Praeterea sacrarum litterarum constat testimonio, verbi alicujus ope Mosen et prophetas miracula patrasse, sidemque Apostoli adhibito Jesu nomine fecerunt; est adeo verbum aliquod mirificum, quo rite usurpato nobis etiam licet esse miraculorum auctoribus. **) Haec sola est veri nominis magia. Nititur argumentum Reuchlini insita humano ingenio cupiditate, omnia quam accuratissime noscendi, cui ut satisfiat, omnia arripiunt homines, unde augeatur cognitio, ne levissimis quidem subsidiis spretis; quodsi ea uterentur moderatione, ut, quae nosse certa iis et explorata negent sciendi auxilia, ab iis abstinerent sciendi cupiditatem: nihil hujusmodi ratiunculis inesse ponderis, facile perspicerent. Traditiones si docent, quae rationi non sunt pervia, nec argumentis e rerum natura ductis possunt demonstrari; eo ipso jam sunt merito suspectae, cum plurimas id genus traditiones singularum gentium esse absurdas constet, cumque manent eae e prima hominum ruditate ac barbarie, fingendi libidini magnopere indulgente. Omnis praeterea traditionis natura ipsa, fidem ei apud cunctos, et ab omni levitate abhorrentes derogat; famam omnem et quaecunque fando per manus traduntur, incerta esse et fluxa, pro cujusque hominis ingenio et singularum aetatum genio aliter accipi, et plerumque augeri in majus sueta, probe habentes perspectum. Quodsi igitur sint etiam ejusmodi de rebus divinis, spirituumque natura et colendi eos ratione, traditiones, a primis inde generis humani parentibus derivatae: parum tamen eae haberent auctoritatis, cum haud constet, nec constare umquam satis possit, an pure sincereque sint ad nos per tot secula transmissae; id quod non modo fieri per se nequit, sed vel eo solo omnem amittit probabilitatem, quod altum est de his rebus in sacris litteris, antiquissimas generis humani res narrantibus, silentium, quae cum sint ad salutem hominibus a Deo traditae, utilissima haec, et quibus tantum inest ad felicitatem hominum momenti, profecto non praeteriissent. Narrant denique Cabbalistae, doctrinae fundamenta sese a primis gentis auctoribus accepisse; at quis quaeso fidem habebit hominibus nugacissimis non modo, sed mendacii manifesti reis? Quae enim de rerum omnium e Deo narrant emanatione, deque ordine, quo singula e natura divina sunt profecta; a Platonicis in Aegypto demum acceperunt, nullumque plane exstat, aut allatum hucusque est a Cabbalae defensoribus, argumentum alicujus momenti, unde major hujus doctrinae eruatur antiquitas. In vetere testamento nihil legitur, quod absque ambiguitate omni faveat emanationi, quaeque ei demonstrando solent a nonnullis adhiberi Danielis testimonia, aliam ferunt interpretationem; Persae, lucem et tenebras, numina coaeva, secum inducentes pugnantia, ab emanatione sunt alieni; de Chaldaeis, cum desint monumenta satis antiqua, affirmari nihil certo potest; philosophia denique orientalis, cujus antiquitatem jactant, nulla est, totaque temporibus Ptolemaeorum debet originem. Fac autem, summae hanc emanationem esse antiquitatis; in pejorem adhuc tota res adducitur locum. Cum enim constet esse eam impietatis plenissimam, et ad pantheismum tendere: venerandam hanc traditionem non posse a viris divinis proficisci, prono hinc alveo manat.

Missis

*) Reuchlin. de arte Cabbalist. I, f. 6, 21, 22.

**) Idem de verbo mirifico I, fol. 2. sqq. fol. 13.

H. Corn. Agrippae argumentum e formae et materiae natura ductum.

Missis, quicunque ante et post Reuchlinum de arte magica usque ad hujus seculi fere medium scripserunt, ad Henricum Cornelium Agrippam ab Nettesheym convertimus orationem; is enim lectis studiosissime eorum libris, magiae inde concinnavit disciplinam omnia complectentem, ut ex eo solo satis queat totius artis indoles cognosci. Utitur autem Alexandrinorum et Cabbalistarum hypothesibus, utpote solis huic superstitioni faventibus. Materia iners per se et omni destituta agendi vi, omnisque adeo formae expers et figurae, vim et formas accipit ab ideis, id est, naturis mole et extensione carentibus, quae desuper ex ipso Deo in materiem descendunt: est enim vis omnis e Platonicorum et Platonis mente divini quid, adeoque Deus per omnia mundi corpora fusus. His tacite positis, ita porro rationem subducit Agrippa: Platonici omnia inferiora ferunt esse edita a superioribus ideis, ideam autem definiunt esse formam supra corpora, animas, mentes, unam, simplicem, puram, immutabilem, indivisibilem, incorpoream, aeternam, atque eandem idearum omnium esse naturam. Ponunt autem ideas in ipso quidem bono, hoc est, Deo, per causae modum — ponunt secundo in ipso intelligibili, hoc est, anima mundi — ponunt in natura tanquam semina quaedam infima formarum ab ideis infusa, ponunt in materia denique ut umbras. Accedit ad haec, quod totidem sunt in anima mundi rationes rerum seminales, quot ideae sunt in mente divina, quibus ipse rationibus aedificavit sibi in coelis ultra stellas, figuras etiam, impressitque his omnibus proprietates. Ab his itaque stellis, figuris, ac proprietatibus, omnes specierum inferiorum virtutes et proprietates dependent, ita ut quaelibet species habeat figuram coelestem sibi convenientem, ex qua etiam provenit sibi mirabilis potestas in operando. Sunt enim ideae non modo causae essendi alicujus speciei, sed etiam sunt causae ejusdem virtutis, quae tali speciei inest. Inveniuntur res ejusdem speciei, magis ac minus potentes, secundum puritatem vel confusionem materiae, omnes enim influxus coelestes impediri possunt per confusionem et inhabilitatem materiae. — Quare hae res, in quibus minus immergitur idea materiae, hoc est, quae separatorum majorem accipiunt similitudinem, virtutes habent potentiores in operatione, similes operationi ideae separatae. Scimus itaque, situm ac figuram coelestium causam esse omnis mobilis virtutis, quae est in speciebus inferioribus. *) En disciplinae totius fundamenta! Discutiamus haec brevissimis: omnium rerum vim e Deo volunt manare, at qui constat id ipsum? quibus nititur argumentis? Nulla equidem nec apud Platonicos video, nec apud Cabbalistas; gratuito hoc sumitur; nemo autem, non dicam philosophus, sed ne vir quidem prudens, fidem hujusmodi effatis solet adhibere. At materia est iners, aliunde ergo ei vis advenit! Absque demonstratione idonea sumitur etiam hoc: quis enim unquam materiam vidit prorsus informem, quam Aristotelici vocant primam? Corpora tamen et quae constant materia, sunt inertia nisi mota non moventur! Sponte non moventur, quis autem ausit inde concludere, nullam prorsus iis inesse vim? An necesse forte est omnem vim sponte agere? Hoc equidem demonstratum nusquam vidi. Sed manet vis omnis e Deo, qui constat, in animam mundi primo loco, inde in stellas, hinc in corpora sub luna eam per gradus descendere? Quare tam imbecillis fingitur Deus, ut nequeat vim suam omnibus simul impertiri? Nequit simplex et pura Dei natura in crassam hanc corporum molem absque rebus in coelo sitis descendere, nequit sese statim his mundi faecibus adjungere. Quare autem nequit? ob simplicitatem? Non miscetur ea rebus impuris, non ab iis polluitur,

*) Agrippa de occulta philos. I, 11.

luitur, non fit descendendo crassior, ut ipsi docetis, vis divina, quid igitur opus est anima mundi, quid stellis, cum eadem puritate nihilominus debeat in haec inferiora delabi? Gratuito igitur et hoc sumitur. Impietatem pantheisticam, Deum omnia pervadentem, adeoque extensum et corporeum taceo. Quae de mundi anima afferuntur, absque demonstratione etiam sumuntur, nixa rudi barbarie et physices ignorantia; experientia duce nunquam satis demonstranda. Quod autem attinet ad astrorum in haec inferiora potestatem, id experimentis cum possit demonstrari, ad examen severum fuisset revocandum, nec e superioribus tanquam satis firmis inferendum. Quaecunque ergo hucusque sunt ab Agrippa allata, tantum abest, ut certa sint, ut ne vera quidem possint ab aequo rerum judice agnosci.

Agrippae argumentum a viribus occultis petitum.

Inesse rebus cunctis virtutes occultas, easque mirificas et magicas, ut ostendat Agrippa, experientiam advocat in auxilium. Omnibus notum est, virtutem quandam inesse magneti, qua ferrum trahit, et quod adamas sua praesentia virtutem magnetis tollit, — aerites foetui mulierum et plantarum superpositus corroborat, suppositus trahit, lapsis sanguinem comprimit, Chamaeleontis jecur summis rogulis exustum, umbras et tonitrua excitat etc. Deus virtutum finis et origo, sigillum idearum ministris suis praestat intelligentiis, qui tanquam fideles executores res tanquam sibi creditas ideali signant virtute, stellis, coelis, tanquam instrumenta materiam disponentibus, ad suscipiendas formas illas. — Provenit itaque et forma et virtus primo ab ideis, deinde ab intelligentiis praesidentibus et regentibus, postea a coelorum adspectibus disquirentibus — Virtus igitur et mirabilis operatio est in unaquaque herba et lapide, sed major in stella. *) Magnetem magnopere magi crepant, hodie constat mechanica eum ratione agere, nec esse ibi quicquam sympathetici, aut mechanismi, naturam quod superet; quae reliqua affert Agrippa, falsa sunt et a magorum vaniloquentia ficta: quodsi vera essent, quae de chamaeleontis jecore, aliisque id genus plantis, lapidibus aut animalium partibus celebrantur; qui fit, ut nemo hodie his utatur in patrandis miris? qui fit, ut rideantur ista omnia a physices doctoribus accuratioribus? Nulla unquam ars et scientia, cujus constat utilitas et veritas, deserta est ab hominibus, temporum progressu, in majus omnes sunt auctae, qui igitur fieret, ut sola haec, quae multis tamen libris continetur, contemtum doctorum experiatur?

Aliud Agrippae de viribus occultis argumentum.

Ad aliud porro experimentorum genus provocat Agrippa, quo haec enuntiatio stabiliatur: unaquaeque vis movet et convertit ad suum simile et inclinat ad seipsum secundum totum posse suum. — Omne enim agens cum agere coeperit, non ad inferius se ipso movet, sed quodammodo, quoad fieri potest, ad sui par et consentaneum, quod manifeste etiam videmus in animantibus sensibilibus, in quibus cibum non in herbam vel plantam nutritia virtus transmutat, sed in carnem sensibilem. Quibus igitur in rebus inest alicujus proprietatis vel qualitatis excessus, ut calor, frigus, audacia, timor, tristitia, iracundia, amor, odium vel quaevis alia passio, aut virtus, sive insit ipsis per naturam sive quandoque per artem vel casum, ut audacia in meretrice, hae res ad talem qualitatem, virtutem, passionem maxime movent, et provocant. Sic ignis movet ad ignem, et aqua ad aquam, — ut est notum apud medicos, quod cerebrum juvat ad cerebrum,

*) Agrippa de philos. occult. I, 13.



rebrum, et pulmo ad pulmonem; ferunt, quod ranae dexter oculus dextro, sinister sinistro, suspensi e collo nativi coloris panno, lippitudines sanat; —— hoc modo dicunt, quod omne animal sterile ad sterilitatem provocat. Si igitur volumus operari ad aliquam proprietatem, vel virtutem, quaeramus animantia vel alias res, quibus talis proprietas excellentius inest, et ex his assumamus nobis partem. Ut si quando velimus promovere amorem, quaeramus aliquod animal, quod maxime diligit, cujusmodi sunt columbae, turtur, passer, atque ex his assumamus membra vel partes, in quibus maxime viget Veneris appetitus, quae sunt cor, testiculi, matrix, priapus, semen; simili modo ad augendam audaciam quaeramus leonem vel gallum, et ex his capiamus cor, vel oculos, vel frontem. *) Plurima hujus generis alia docet Agrippa, quae narrare est refutare. Id modo hinc capiamus utilitatis, ut, quibus rationibus levissimis et similitudinibus obtorto collo ad propositum raptis nitantur priscorum superstitiones magicae, plurima enim ex antiquis hausit Agrippa, perspicue intelligamus.

In auxilium Agrippa advocat astrorum vires.

De astrorum in haec inferiora influxu supra quaedam jam tetigit Agrippa, nunc eundem dedita opera hanc rem audiamus exsequentem. Manifestum est, quod omnia inferiora subsunt superioribus, et quodammodo sibi invicem insunt, sicut in infimis suprema, et supremis infima, sic in coelo sunt terrena, sed sicut in causa modoque coelesti, et in terra sunt coelestia, sed modo terrestri; sic dicimus hic esse entia quaedam solaria, quaedam lunaria, in quibus sol et luna causant aliquid suae virtutis. Unde res hujusmodi recipiunt plures operationes, et proprietates consimiles operationibus stellarum et figurarum quibus subsunt; sic cognoscimus, solaria esse respectiva cordis et capitis propter leonem solis domum, et arietem solis exaltationem; sic martialia conferunt capiti et testiculis propter arietem et scorpionem. Sed circa ista necessarium est scire, quomodo corpus humanum distribuitur planetis et figuris. Scias itaque, juxta Arabum traditionem solem praeesse cerebro, cordi, femori etc. — Mercurium spleni, lieni, stomacho etc. — Saturnum hepati et carnosiori parti stomachi, etc. — Scias, quod res, quae alicui planetarum subsunt, singularem habent adspectum sive inclinationem ad membra eidem planetae attributa. Hac igitur ratione paeonia citraria, cortices citri, amaracus etc. medentur capiti, propter solem; — conferunt Saturnalia ad tristitiam et melancholiam, Jovialia ad laetitiam. **) Eodem tenore pergit noster, ex imperio planetarum et astrorum, lapidum derivare virtutes singulares, plantarum et aliarum quarumcunque rerum in genera distributarum, prout hujus vel illius planetae aut stellae subsunt dominationi. ***) Ne autem supersit quicquam, cui non praesit planeta, terrae etiam regiones inter eos partitur, a quibus ad stellas denique fixas progreditur. †) Astrologia nititur etiam ars talismanes faciendi, de qua librum edidit Gaffarellus ††); eodem astrorum influxu magi etiam hodierni, interque eos theosophi, quique vocantur Martinistae, nuper exorti, in multis utuntur.

Nulla huic argumento inest demonstrandi vis.

Paulo itaque accuratius in rem inquiramus, id quod eo magis videtur necessarium, quo minus huc respexerunt, qui contra astrologos hucusque scripserunt, modo refutarent

*) Agrippa de philos. occ. I, 15. **) Ibid. I, 22.

***) Ibid. I, 23-29. †) Ibid. 31, 32.

††) Gaffarell. curiosités inouies des Talismans.

tarent praedictiones astrologicas satis habentes. Ac primo quidem loco nemo ad hanc usque diem, accurate eaque methodo, qua uti decet philosophum, verum sedulo quaerentem, experimentis demonstravit, astra aut planetas omnes aliqua, quae quidem percipi possunt ac sentiri, in mundi hac regione, efficere, immo quod minoris longe foret laboris, ne quaesitum quidem studiose est a physicis, an praeter lucem et calorem, et quae inde pendent, a sole, praeter lucem et aestum maris, ab atmosphaerae ortum pressione, a luna quicquam in globo nostro terraqueo efficiatur. Quae enim vulgo perhibentur de animalium pinguedine lunae phases sequente, de lunae in morbos vi, incerta sunt, nec unquam accurate in partem alterutram disputata. Gratuito ergo haec omnia, maxime quod attinet ad planetas reliquos, a magiae propugnatoribus sumuntur. Deinde plurima horum esse falsa, satis hodie est compertum; solebant adhuc seculo superiori in secandis venis, serendis plantis et arboribus, caedendo ligno, aliisque vitae negotiis sequi calendariorum praescripta, hodie nemo nec medicorum nec aliorum iis utitur, nec tamen minus feliciter singula haec succedunt. In colligendis herbis, quarum in arte medica est usus, libros sequebantur nostri majores, quos vocabant planetarios, ubi, quo quaevis herba tempore esset legenda, docebatur religiosissime; hodie omnes hi libri negliguntur, nec minus propterea inest herbis efficaciae. Pentacula, plurimasque praeterea medicinas, ex similitudine cum planetis et astris iis intercedente, magno in pretio habita, medici accuratiores, experientia duce usi, ex arte medica plane ejecerunt. Denique, si ad physices respicimus accuratae, et experientia stabilitae praecepta; parum aut nihil planetarum plurimi, et astra in globo terraqueo efficiunt. Nullum namque corpus, ubi non est ipsum, aut effluviis agit, ibi pollere efficacia satis constat. Jam excepto sole et luna, planetae reliqui et astra praeter lumen nihil ad nos transmittunt, idque ipsum lumen est adeo tenue, adeo cum lumine astrorum reliquorum permistum, terrae praeterea vaporibus aut infectum aut debilitatum, ut nullus inde effectus praecipuus, aut singulis planetis proprius, ulla ratione possit derivari. Hinc moti forte magi, deque physica, haec explorandi, ratione desperantes, ad sua sese deliria et hypotheses omni destitutas fundamento recipiunt. Omnia dicunt esse in omnibus, inferiora esse superioribus similia, quia vis divina permeat omnia, eadem ratione, qua generum notiones et definitiones insunt omnibus speciebus; quia inferiora sunt ad similitudinem superiorum, id est, idearum divinarum facta. Longe sunt haec omnia a vera ratione remota; omnia namque esse in omnibus, duobus tantum modis potest intelligi, aut ut Deus, anima mundi, animae stellarum sint in substantiis nostris, tanquam partes, ut elementa sunt in composito; aut ut insint iis, ut genera sunt in speciebus. Quorum alterum respuunt, est enim absurditatis et impietatis manifestae; alterum amplectuntur incauti, quae sequuntur absona non cernentes. Genera insunt speciebus, non ut substantiae sunt in substantiis, sed ut partes notionis sunt in notione, Deum itaque et naturas corpore vacuas mutari in notiones meras mentis, spoliari omnibus, quae propria sunt substantiis, prono hinc alveo fluit. En quorsum abeat profunda horum hominum sapientia, quam tanto cum fastu, tanto cum supercilio, aliam omnem despicientes et nihili prorsus aestimantes, jactant!

Agrippae de attrahendis stellarum viribus sententia.

His astrologicis somniis nituntur porro ritus magorum multi, quibus in attrahendis stellarum viribus utuntur, indeque characteres etiam magorum derivantur ab Agrippa, rationem subducente ita: Omnes stellae suas proprias habent naturas, proprietates, conditiones, quorum characteres et signacula per suos radios etiam in inferioribus producunt,

ducunt, — unde unaquaeque res a dispositione harmonica, et a sua stella ipsam irradiante, sortitur speciale aliquod signaculum, seu characterem illius stellae significativum, ac specialem in se continentem virtutem. His praemissis, litteras seu characteres planetarum subjungit, *) unde porro ita concludit: si optas ex aliqua mundi parte stellae virtutem accipere, adhibitis quae ad stellam hanc attinent, ejus proprium subis influxum. — Exempli gratia: si cupis virtutem a sole attrahere, quaere quae sunt solaria inter metalla, lapides et animalia, haec sunt adhibenda, potissime vero, quae in ordine solari sunt superiora, haec enim magni conferunt. **) Hac ratione attracta e coelo anima sentiente, posse animalia procreari, ***) posse daemonas coelestes nobis conciliari, immo statuas animari, †) mortuos in vitam revocari, ††) aliaque mira quamplurima patrari, contendit Agrippa. Nititur omnis hic miraculorum apparatus attractione efficaciae stellarum, haec autem attractio nugis meris inaedificatur; stellae enim omnes lumen eadem ratione, eadem celeritate, eadem etiam quantitate semper ad nos demittunt, nec ullus usquam ad hunc usque diem ausus est affirmare, certisque experimentis demonstrare, sese efficere, ut Veneris verbi gr. aut Saturni lumen solito majus videretur aut vehementius. Sunt porro omnia stellarum radiis exposita eodem modo, et quantum suscipere eorum possunt, tantum semper suscipiunt, ut attractio ista, quam sit vana, statim appareat. Quin et ubi plura ejusdem generis miscueris, singula suam sibi virtutem servant, nec majorem mixta accipiunt efficaciam. Quin etiamsi a stellis plures his mixtionibus et apparatibus manarent in naturas corporeas radii: tamen mira haec inde sequerentur nunquam, nisi demonstratum sit antea, in stellis esse vitam, sensum, intellectum, unde divinatio, vita in res mortuas aut anima carentes proficisceretur; id autem ponitur magis ab Agrippa ejusque similibus, quam demonstratur. Immo fac animam et vitam inesse stellis, hanc apparatibus magicis attrahi in naturas inferiores; sequi alterutrum necesse est, aut stellam anima exutam ad tempus jacere mortuam ac sopitam, aut animam ejus in plures posse partes dividi, non minuta interim totius animae efficacia; quorum utrumque est absurdissimum. Latet in his omnibus conceptus erroneus, ab imaginatione fictus magis, quam a ratione sana procreatus, cujus vi putant rerum vires posse sese super naturas alias diffundere, iisque instillare, substantia interim ipsa manente integra: id quod tum experientiae repugnat, tum rationi maxime est adversum, ut quae nullam esse absque substantia vim, nec egredi vim ullam, nisi egrediantur simul substantiarum particulae, satis docet. In calore quidem, luce, frigore, videntur vires sese ab aliis in alias res, substantiis non deminutis, diffundere, indeque dubio procul totum hoc figmentum, inter homines accurate non philosophantes, traxit originem: at si curiose in haec inquiras, in calore motum ab altero communicari alteri, in luce diffundi particulas motas, et sequi lucem leges corporum aliorum, in frigore partium subtilissimarum cohiberi motum intelliges. Characteres autem planetarum unde didicerint, scire equidem percupiam, cum nihil ab eo videam allatum, unde constet, nullos alios cuilibet planetae characteres esse proprios; cum in clavicula Salomonis alii plane appareant eorumdem characteres, adeoque manifestum sit, id totum deberi phantasiae, pro lubitu talia fingenti.

De

*) Agrippa. l. c. I, 33. **) Ibid. 34.

***) Ibid. 36. †) Ibid. 38.

††) Ibid. 58.

De virtutibus verborum quae disserit Agrippa, ut ex Platonicis hausta omnia, similiaque supra commemoratis, silentio transmitto, ad numerorum efficaciam pedem promoturus. Inquit Severinus Boetius, omnia quaecunque a primaeva rerum natura constructa sunt, numerorum videntur ratione formata, hoc enim fuit principale in animo conditoris exemplar, hinc elementorum multitudo mutuata est, hinc temporum vices, hinc motus astrorum, et coeli conversio, omniumque status, numerorum colligatione consistit. Sunt igitur numeri magnarum sublimiumque virtutum potentes. *) Ceterum nunc in natura quantas possident virtutes numeri, patet in herba, quae pentaphyllon, hoc est, quinquefolium dicitur, haec enim virtute quinaria resistit venenis, pellit daemonas, confert expiationem, atque ejus folium bis quotidie unum vino sumtum, curat ephemeram, tria tertianam, quatuor quartanam. Similiter seminis heliotropii grana quatuor pota, quartanis, tria vero, tertianis prodesse dicuntur. **) Plura, quae larga manu spargit Agrippa, piget exscribere, cum haec jam sufficiant intelligendae totius rei vanitati. Quis enim unquam sana utens ratione, aut logices praecepta doctus, ita ausus est concludere rationem: quaecunque in mundo sunt obvia, numeris sunt definita, ergo in numeris ipsis ingens et mirifica latet efficiendi vis? quasi necesse non esset, finita omnia certis includi numeris; aut a numeris ipsis haberent res, quod sunt finitae. At aliud forte sibi volunt numerorum patroni, verbis modo utentes parum sententiae aptis, id nempe: numeri ipsi effecerunt et terminarunt singula, adeoque magna pollent virtute! Sunt enim numeri ideae divinae, formae rerum, vires rebus a Deo inditae. Ne sic quidem res invenit exitum: hae enim ideae, si similes sunt nostris animi conceptibus, nullam habent efficiendi potestatem, sed exemplaria modo sunt, quae sequitur in rebus efficiendis animus. Sin naturae sunt corpore carentes, id est substantiae; ergo ex multis Deus substantiis et partibus conflatur. Sin vires modo sunt; ergo vires nulli inhaerent substantiae, sunt accidentia mera, de subjecto in subjectum migrant, et per aerem miro volitant modo, quo nihil fingi potest absurdius, quodque diu a philosophis accuratioribus est explosum. Quae autem ab Agrippa afferuntur de pentaphyllo, heliotropio, aliisque similibus, rident hodie medici, qui nunquam profecto in sanandis febribus ad corticem Peruvianum recurrissent, si tantam deprehendissent in his herbis, apud nos provenientibus, virtutem.


Agrippae de viribus numerorum sententia.

Tandem ad probandum accedit Agrippa, quod tacite hucusque sumsit, quodque maximum est magorum praesidium, mundum astraque esse anima praeditum. Coelum, inquit, corporaque coelestia, cum ipsa vim habeant et influxum, ac manifestam operationem in ista inferiora, necesse est, esse animata, siquidem operatio a puro corpore provenire minime potest. ***) Si corpus sumatur prorsus iners, omnique efficiendi vi carens; recte id quidem sequitur, at quis quaeso hanc esse corporis naturam demonstravit? Habet mundus, habent coeli, habent stellae, habent elementa animam — habent etiam spiritum, pergit, nam cum mundi corpus totum quoddam est corpus, cujus particulae sunt omnium animantium corpora, atque quanto totum partibus est perfectius et nobilius, tanto mundi corpus perfectius nobiliusque est singulorum animantium corpore: absurdum foret, quod imperfecta quaeque corpuscula et particulae mundi, et vilissima

Mundum existimat Agrippa anima esse praeditum.

*) Agrippa l. c. II, 2. **) Ibid. II, 3.

***) Ibid. II, 55.



lissima animalcula, muscae et vermiculi vita digna sint, vitam possideant, animam habeant, mundum ipsum integrum, perfectissimum ac nobilissimum corpus, neque vivere, neque animam habere. Non minus absurdum est, coelos, stellas, elementa, quae singulis vitam animamque praebent largissime, ipsos vita animaque carere. *) Nihil equidem video hic absurdi, cum nemini liceat concludere a partibus ad totum, e. g. partes nonnullae horologii moventur, ergo totum horologium movetur. At mundus foret partibus imperfectior, si vita careret! Ne id quidem sequitur, viventia sunt namque mundi partes, adeoque sejungi nequeunt a toto mundo, nec licet jure ullo affirmare, mundum omnem esse animantibus inferiorem; alias autem totius partes aliis esse nobiliores, id tantum abest, ut sit absurdum, ut in omni fere toto obviae sint partes aliae aliis praestantiores. Quod autem attinet ad vitam ex elementis et stellis ad animalia manantem, id pro lubitu ab hoc philosophorum genere fingitur; quanquam enim ex elementis, terra, aere, aqua alantur animalia, vitam tamen ipsam animamque inde propterea non hauriunt.

Th. Campanellae rationes, quibus vivere omnia studet probare.

His argumentis ex antiquorum philosophorum scholis, Socratica, Platonica, Stoica, maxime petitis, cum parum profici viderent magiae defensores adversus mechanicae philosophiae patronos, magno temporibus secutis nisu in id incubuerunt, ut vivere omnia et sentire, plurimis demonstrarent argumentis. Inter hos eminent prae ceteris Thomas Campanella, et Franciscus Glisson, uterque argumentis quibusdam usi propriis sibi, quae jam veniunt dijudicanda. Horum ille haec maxime vitae per omnes substantias sparsae putat indicia: quae in animalibus cernimus, eadem et materiae, quam existimant sensu carere, omnia insunt; sunt elementorum inter se odia, bella, inimicitiae, quae esse non possent, nisi contrariorum alterum sentiret, alterum sibi esse contrarium. **) Quasi vero et nos, quotiescunque alter alteri sumus contrarii, ejus sensum haberemus, quoties v. g. per noctem alter alterum non cernentes, motu contrario alter in alterum impingimus, et debiliorem prosternimus! Norunt hodie physici omnes, elementorum, aliarumque rerum contrarietates explicari optime, nullo adhibito sensu, posse. Omnibus rebus, pergit Campanella, inest appetitus, amor, odium, abominatio, omnis autem amor oritur ex cognitione rei amatae: ergo cum concedant, ignem appetere sursum; concedant opportet, illum nosse, ibi esse suum conservativum, in terra vero destructivum. ***) Quasi vero metaphoricis hujusmodi e vita communi petitis locutionibus in philosophia accuratiori esset fidendum, nec posset motus ignis, quo tendit sursum, derivari commodissime e particularum aeri innatantium levitate! Omnes secundum Campanellam res agunt propter finem, plantae ferunt fructus, ut aeternentur, spinas, ut defendantur, folia, ut tegantur; ergo natura cognovit finem; ergo instinctus rebus cunctis insitus, est impulsus cognoscentis naturae. †) Ergo horologii rota quaevis, ut quae movetur ad finem horologii totius, novit hunc finem; quid ergo opus est in iis componendis artificio mechanico? Plantae non ferunt fructus, ut aeternentur, sed quia talis est earum structura, ut non ferre fructus non possint. Haec aliaque quam sint levia, nemo non videt, nituntur cuncta vocabulorum abusu, quo, quae metaphorice in vita communi usurpantur, ad

*) Agrippa l. c. II, 56.

**) Thom. Campanell. de sensu rerum et magia I, 5.

***) Ibid. c. 6. †) Ibid. c. 7.

ad ſenſum proprium detorquentur, quoque, quibus aliquid ineſt ſimilitudinis, ſtatim pro plane iisdem ſumuntur. Hinc ad abſurda etiam delabitur Campanella, ſpatio ipſi, quod philoſophi argumentis omni exceptione majoribus eſſe phantasma merum demonſtrant, ineſſe ſenſum ſibi perſuadens. *) Calorem porro autumat ſentire, et eſſe ſenſus omnis fontem, eam maxime ob cauſam, quod ipſe viderit, crines equinos in aqua pluviali tepida animari fierique anguiculos, **) quod poſt eum, eorum, qui accurate haec inveſtigarunt, contigit nemini. Quae inde derivat Campanella de ſympathia, cui deinde, Platonicorum inſtar, inaedificat magiam, cum ſint ſupra jam allatis haud abſimilia, nihil attinet referre.

Argumenta Gliſſoni, ſentire cuncta, demonſtrantia.

Subtilitate Campanellam multis modis ſuperat Franciſcus Gliſſon, nec propterea tamen, quae cupit, ſatis demonſtrat. Omnia ejus argumenta redeunt eo, ut ex inſita ſubſtantiis vi, id eſt, perpetuo agendi conatu, iis ineſſe vitam et perceptionem evincat; nec differre proinde vim vivam, quam vocat Leibnitius, a ſenſu et perceptione, demonſtret. At quamdiu vita et conatus agendi internus duce experientia diſcernuntur; quamdiu, quod fieri per notiones ipſas nunquam poteſt, e conatu agendi non derivatur vis ſponte ſeſe movendi: nihil his omnibus praeter illuſionem meram efficitur. Argumentatur autem Gliſſonus ita: quod ſuapte vi movetur, ſponte movetur, quod ſponte movetur, motum cupit, ergo aliquam ejus habet, licet obſcuram, cognitionem et perceptionem. Quodcunque porro ſua vi movetur, mutare ſtatum ſuum ſtudet, jam nulla res ſui cupit interitum, ergo idem eam movetur ob cauſam, ut meliorem reddat ſuam conditionem, ergo propter finem agit, ergo percipit. ***) Quaecunque moventur vi inſita, moveri quidem ſemper ſtudent, et conantur, at conatu bruto, ſenſus experte; in omni conatu eſſe ſenſum, demonſtrari e conatus notione nunquam poteſt, ut quae ſimplex eſt, nec ſenſus ideam habet neceſſario adjunctam; multos enim et nos in nobis ſentimus conatus, quibus ſenſus nullus inerat, quosque poſt rem demum factam, et poſt experimenta, aut irrita, aut ſecunda, animadvertimus adfuiſſe. Quaecunque ita moventur ſuapte vi, ut motum ſiſtere, aut quietem pellere pro lubitu queant, his omnino ſenſus ineſt; at quis unquam demonſtravit, omnibus hanc vim ſubſtantiis ineſſe? Confundit ergo Gliſſonus vim vivam cum vi ſponte agendi. Multum praeterea putat ineſſe praeſidii in conatu individuorum ſeſe conſervandi, quem absque idea aliqua et perceptione non poſſe locum habere ſibi perſuadet. †) At manent individua eadem, quamdiu poſſunt, id eſt, quamdiu a cauſis externis non ſolvuntur eorum partes, aut alienae prorſus adduntur, absque ulla idea aut perceptione; quae de ſtudio ſeſe ſervandi afferuntur, metaphorica ſunt, ipſi naturae haud ſatis congrua.

De argumentis nuperi ſcriptoris anonymi.


Eadem ratione verſatur in argumento eodem nuperus quidam ſcriptor anonymus, qui affert praeterea nonnulla, quorum ratio e mechanicis corporum viribus nondum ſatis eſt a phyſicis repetita. Facile autem apparet, his nihil effici, neque enim ſtatim licet concludere rationem ita: ſi quid nondum ſatis eſt e viribus materiae brutis explicatum; inſunt

*) Th. Campan. de ſenſu rerum et mag. c. 10.

**) Ibid. II, c. 5.

***) Gliſſon de natura ſubſtantiae energetica c. 17. §. 6, 7.

†) Idem c. 5, §. 6. ſqq. §. 28. ſqq.



insunt corporibus aliae his altiores, et mechanica est philosophia rejicienda. Plurima, immo fere omnia, non putabant antiqui posse mechanice explicari, quorsum inter alia pertinet mira chordarum in instrumentis musicis sympathia, quae recentiores tamen optime inde derivarunt, ut de magnete nihil nunc dicam: cumque adeo feliciter hucusque res successerit in plurimis; de reliquis non statim desperandum, aut damnanda ideo philosophandi ratio, hucusque tanto cum fructu tentata.

Ex iis, quae feruntur vulgo de spectris et geniis familiaribus, petere nihil praesidii licet.

His diffisi copiis, ad persuasionem vulgi de spectris et geniis quorundam familiaribus, multi confugiunt, unde auxilia petunt hunc ferme in modum: plurimorum constat auctoritate et virorum proborum testimoniis, spectra saepe apparere, adeoque esse naturas corpore vacuas, multorum in rerum natura mirorum auctores. Quae cum ita sint, cumque de spirituum amicitia nobis concilianda non sit desperandum: non omnis magica ars vana est reputanda. Duo sunt, quae in hac conclusione maxime desiderantur: alterum, esse hujusmodi spiritus, nobisque apparere; alterum, si sunt, posse cum iis amicitiae foedus jungi. Ac horum quidem illud, etsi a multis passim exempla spectrorum afferantur multa; extra omnem tamen non est positum dubitationis aleam. Ad examen namque severum, et quale institui debet in re quotidianae non obvia experientiae, revocanti omnia, quae feruntur, ejus rei documenta; nullum ex asse satisfacere apparet facile: cum nullum sit, in quo aut auctorum fides, aut cautio et prudentia, aut immunitas ab opinionibus praejudicatis, quaeque sunt his similia, non desideretur; cum unum idemque spectrum a pluribus simul visum, auditum, et tactu, aut alio sensu non sit perceptum; cum denique, quotiescunque curiose satis et absque metu est inquisitum, aut fraus apparuerit, aut metus, aliorumque animi motuum illusio. Praeterea res tota absurdi plurimum habet; quotiescunque spectrum apparet, si pauca excipias, nulla ejus rei cernitur causa, nullus finis; praeter terrorem merum, morbos, aut risum, nihil his omnibus efficitur, ut adeo spectra haec necesse sit esse spiritus, aut ratione prorsus carentes, aut metu hominum sese oblectantes. Si qui monitos sese ab iis putant, aut a re aliqua deterritos, post rem gestam demum ita id interpretantur; quo tempore spectrum cernitur, quid sibi velit, nemo fere intelligit. Tumultum cient phasmata, cum conspicienda sese hominibus praebent, nullam aliam ob causam, quam ut tumultuentur et cernantur, nemine, quorsum id spectet, aut cui sit bono, perspiciente, immo tandem omnibus, si saepius fiunt, ea ridentibus. Ad alterum autem quod attinet, inani hominum, mira exspectantium, resque ingentes sibi semper promittentium, id nititur persuasione. Quis enim logices non plane rudis ausit ita concludere rationem: sunt naturae quaedam incorporeae, hominibus nonnunquam conspiciendas sese praebentes; ergo foedus quoddam, aut familiaritas jungi eos inter et homines potest? Quis unquam sanae mentis sperare haec ausit, cum eorum apparitiones adeo plerumque omni destituantur ratione, adeo nulla earum saepissime cernatur causa, ut eo ipso satis appareat, ad nullam certam ea redigi rationem sese pati? Non licet mihi diutius his immorari, quibus demonstrandis singulatim satis magna libri moles esset impendenda; adeat, qui plura cupit nosse, libros hac de re scriptos. *)

His

*) Hennings von Geistern und Geistersehern. Joh. Beaumont Traktat von Geistern, qui multis exemplis esse spectra et spiritus nititur demonstrare etc.

His in utramque partem disputatis argumenta aliquot subjungam, unde magiam omnem esse rem inanem et vanam, magis appareat; ab aliis aut non adhibita, aut satis dilucide non exposita. Qui enim hucusque artem magicam argumentis, ex ipsius natura petitis, impugnarunt, negant, spiritus miracula posse patrare, id est, quae fieri per leges naturae, corporumque vires nequeunt, efficere, cum simplex eorum natura non sit corporibus movendis idonea. *) Sed levius est hoc argumentum, cum spirituum intimam non habeamus perspectam indolem, ut inde definiamus, quae fieri per eam nequeunt, cumque animam humanam qui docent esse spiritum, eamque corpus suum movere, eo ipso cogantur fateri, non omnem corpora movendi vim esse spiritibus denegandam. Majoris est ponderis: naturam, si datur magia, arbitrio hominum, improbis magorum cupiditatibus, iri subjectum, immo Deum ipsum eorum fore quasi servum. **) Hoc argumentum pluribus mox exponam, cum sit ab ejus auctore satis non tractatum.

De nonnullis contra magiam argumentis quid sentiendum.

In memoriam igitur revocemus, quae passim hactenus ex historia magiae sunt tradita, meris rudium hominum, et naturae rerum ignarorum opinionibus, originem eam debere; dein exerceri ab eo hominum genere, quod schamanes, incantatores, praestigiatores, aut alio aliae gentes nomine dicunt, praeterea ab aniculis male feriatis, ad sacerdotes magna ex parte eam transire, et alios professione magos sexus utriusque; eoque facto vulgarem et plebejam magiam distingui a religiosa sacerdotum, aut aliorum, pietatem praecipuam affectantium, ut adeo variis hominum studiis, variis ars augeatur caerimoniis. Quod autem hac in re notatu est dignissimum, quo magis in litteris proficiunt homines, eo magis incerta fit ars magica, rudibus gentium seculis nulli obnoxia dubitationi; aliae contra artes temporum progressu magis magisque consolidantur; vanam ergo esse hanc totam satis hinc elucescit. ***) Docet porro artis historia, ritus et caerimonias variis temporibus varias fuisse adeo, ut constans nihil et perpetuum reperiatur uspiam; maxime autem religionibus cujusque gentis et aetatis accommodari totam, ut alios ritus, alia nomina consecrata, alias preces, herbas, alia instrumenta ab Aegyptiis, alia a Chaldaeis et Persis, alia a Graecis adhiberentur, et ad principatum evecta religione Christiana, inde etiam subsidia peteret magia. Docet denique eadem, nihil intentatum homines reliquisse, ut miracula edendi sibi potestatem pararent, herbas omnes, lapides, metalla, animalia expertos, mortuorum reliquias adhibuisse, vivorum viscera lacerasse, coelum ipsum in partes traxisse, ita ut damnatis prioribus ad nova semper et ante non tentata confugerent. Quae cum ita sint, habeatque ars magica id cum aliis artibus commune, ut sensim creverit et sit mutata: fieri prorsus nequit, ut divinam habeat originem, aut traditione aliqua vel revelatione hominibus sit donata. Quodsi dicant, errore opinionis deceptos multos, aut quia vera magia magnopere occultaretur, ignorantia delusos, varias et multiplices invaluisse opiniones: ei statim occurretur,

Ipsa magiae historia, nihil ei subesse solidi, satis demonstrat.

*) Ubbidente dell' Osa Nichtigkeit der Hexerey und Zauberk. p. 18. cf. Beckers bezauberte Welt.

**) Dell' Osa p. 27.

***) Eberhard Abhandlung über die Magie in Semlers Sammlung von Briefen über Gaßnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen Stück 2. p. 156. sqq.

curretur, ignorari tamen, in hunc usque diem, genuinum aliquod criterium, quo veram e falsa discernamus magiam. Praeterea sequitur etiam hinc, omni arti nihil subesse veri, certi et solidi, cum tot tantasque sit experta vicissitudines, tantis sit opinionum dissidiis obnoxia, somniisque et fictionibus phantasiae simillima tota. Nec obstat, quod idem aliae artes et litterae sunt passae, in his enim quanquam plurima adhuc sint incerta, multae opiniones sese exceperint: peritus tamen et prudens earum aestimator facile multa eruet sectis omnibus communia, ac veluti fundamenta, multas notiones, quibus sunt omnes usae, idemque simul absque labore multo, quantopere seculis singulis creverint aut corruptae sint, poterit definire. At de magia nihil tale licet affirmare, nec, utra pars ad verum propius accedat, ulla ratione definire. His accedit denique, quod quaecunque a philosophis, aut hominibus acutioribus examini severo sunt subjecta opera magica, eorum fraus patuit manifesta, id quod apparet ex iis, quae Bekkerus, Hauberus, Semlerus, Eberhardus, St. André, aliique libris supra laudatis scripta reliquerunt. Quibus si addas, nullo prorsus demonstrari testimonio idoneo, magia unquam aliquid esse effectum; rem totam esse nihil, facile hinc elicias.

Id quod e remediis magicis, spretis hodie a medicis praestantissimis, insuper elucescit.

Porro quaecunque ab hominibus tradita comprobavit experientia, nunquam deinde sprevit posteritas, aut abire in desuetudinem omnino est passa. Quae praescribit Hippocrates remedia salutaria, hodieque adhibentur, sive ratione eadem, sive in melius mutata, ut tamen ab Hippocrate ea proficisci satis constet. Quae in geometricis docet Euclides, et in metiendis intervallis locorum aut altitudinibus, aliisque id genus fieri jussit, eadem ferme apud geometras nostros sunt in usu. Multa a Platone, Aristotele, aut Epicuro inventa philosophi adhuc nostri usurpant. At in arte magica contra sese res habet; priorum aetatum praecepta semper spreverunt posteri, nova plane ac ante incognita in eorum locum substituentes: remedia magica et amuleta ad omne morborum genus, etsi affatim tradiderint majores, nec ignota essent, utpote multis libris memoriae mandata; tamen posteri alia semper excogitarunt, sepositis prioribus, tantos his non impensuri labores, si ulla ratione eventus respondisset praeceptis majorum. Nec ignotum etiam fuit, qua ratione perveniretur ad spirituum Deique ipsius familiaritatem, et qua esset via sursum ad Deum adscendendum; pauci tamen eam ingredi sunt ausi, et eorum, qui ingressi sunt, pauciores longe, quae optabant, sunt assecuti. Multi namque hanc sequentes methodum, insani aut furiosi sunt facti, alii, quibus de statu mens non est dejecta, nihil inde reportarunt eorum, quae tanto cum fastu a theosophis praedicantur. Bourignonia namque, Jacobus Boehm, Schwedenborgius, Petrus Poiret, Helmontii, Pordagius, etsi familiaritatem sibi intercedere cum angelis, immo ad Dei ipsius sese dicant admissos contemplationem; mira tamen nulla aut patrarunt, aut patrare sese posse, ausi sunt asseverare. Inciderant quippe in ea tempora, quibus miraculis fides haud facile solebat absque examine scrupulosissimo haberi; quos contra tulit aetas obscura magis aut credula, ii miracula omnes ediderunt, Paracelsus v. g. Cornelius Agrippa, alii. At vaticinati sunt coram haud paucis Bourignonia v. g., Schwedenborgius, et res arcanas revelarunt! Mallem equidem, etiam inde abstinuissent jactantiam; Bourignonia certe dum res ingentes sese praevidit effecturam, aut Bruxellas arsuras, egregie erravit. Schwedenborgium nemo, quod sciam, adeo sollicite observavit, ut, quoties in vaticinando erraverit, litteris mandaret, acciditque ei fortunae favore, ut memoriae traderentur tantum, quae eventus

eventus comprobavit, omnemque adeo effugisset reprehensionem, nisi sui proditor esset ipse. Scribit enim alicubi, sese sermonem habuisse cum Leibnitio, ab eoque, quaenam ei placuissent in philosophia, accepisse; sunt autem ea a Leibnitii philosophia prorsus aliena, ut constet, philosophi mentem non assecutum. Accedit, quod theosophorum nemo altius in rerum naturam penetravit, ulloque memorabili invento auxit philosophiam; detracta namque veste hieroglyphica et aenigmatica, qua de industria utuntur, nihil relinquitur aliud, quam quod a philosophis accuratioribus dudum jam est verbis perspicuis et argumentis optimis demonstratum. Quicunque adiit ipsos, aut quae excerpsit ex eorum libris Bruckerus, consuluit, ei dubium hoc esse nulla ratione potest.

Theosophiae qui navant operam, magna ingenio suo afferunt detrimenta.

Solent porro theosophi et magi vehementer hujus disciplinae commendare utilitatem, ea sola homines reddi in Deum maxime pios, mores mire emendari, cupiditates omnes pravas ex animo evelli, quaeque sunt ejusdem commatis alia, magnam prae se speciem veri ferentia. His haud magnopere equidem censeo fidendum, cum longe majora inde damna emergant. Lucem enim omnem qui exspectant a Deo, ingenium non acuunt, mentis vires sinunt hebescere, et in pristinam tandem rerum omnium ignorantiam relabuntur. Ingenii acumine constat hucusque artes et litteras inventas et auctas; illuminatio divina nihil praebuit iis praesidii, cum a theosophorum nemine quicquam sit allatum, quo generis humani commoda juvarentur. Quod pejus autem est multo, tollit magiae opinio omnem prudentiam, omnem vitae rationem, omnem morum disciplinam, hominesque reddit desides, negligentes, torpidos. Maximus enim rerum gerundarum stimulus est persuasio, nostris nos viribus posse aliquod efficere, in iis ponere fiduciam licere, qua demta, alienae inhiantes opi, audaciam omnem, et rerum agendarum ardorem necesse est perire. Praeterea nisi certi simus, causas easdem eadem semper effecturas, nisi e causis praevidere effectus queamus: nihil suscipi a nobis prudenter, nihil geri certa ratione potest, adeoque artes omnes, opificia, omnes virtutes, prudentia, sapientia, omnis vita civilis tolluntur. Quis enim quaeso seret, cum nesciat, an unquam messis ad eum sit redundatura, cumque omnibus summo studio praeparatis, magi alicujus invidia aut malitia possit messis corrumpi? Quis consilia in longum tempus capiet, et experiundo, aliorum experimenta magno opere colligendo, ne quid admittat erroris, cavebit; cum nesciat, an omnia prudentissime composita sit turbaturum magi alicujus odium? Stultum profecto foret, e rebus gestis, disciplinis physicis, aliisque litteris et artibus, parare sibi rerum naturae notitiam, doceri, qua ratione singula sint gerenda, politices, artium mechanicarum tradere praecepta, immo vitae totius instituendae homines docere rationem, si nihil his omnibus inest certi, si spondere faustum negotiorum exitum, quotiescunque nihil est peccatum, non licet, possuntque consilia optima arte magica everti? Laudes porro et reprehensiones locum haberent nullum; qui enim licet scire, sitne per magiam daemon aut angelus immissus, qui omnia miscuerit, immo ipsam nobis rationem ademerit, aut animi cupiditatibus et affectibus nos turbarit, occoecarit, in transversum egerit? His adduntur a philosopho acutissimo etiam haec: in rebus agendis opus est certitudine sensuum; nisi enim oculos, nares, gustum, tactum usurpantibus, hanc rem esse pomum, certis esse liceret: nihil geri tuto possit. Jam artibus magicis, si sunt verae, totum hoc tollitur, efficiunt enim magi, ut, pomum quod non est, esse pomum videatur, adeoque perverti omnem rerum gerendarum rationem

necesse est, unde confusio et perturbatio rerum cunctarum non potest non manare. Fieri namque posset, ut malus genius homini veneno vescenti illuderet ita, ut saccharo sese frui sibi persuaderet. Quae si largimur, fieri etiam potest, ut, quem testes jurati affirmant stricto gladio alium interfecisse, speciem modo suam diaboli illusione esse ab his visam contendat, quo ipso judicia omnia, omnisque justitia non possunt non everti funditus. *)

Naturam cum necesse sit legibus adstringi: artes magicae prorsus inde eliminantur.

Esse hujus universi naturam eam, ut eaedem causae eadem ratione dispositae, in naturas alias agentes easdem, eundem semper gignant effectum, experientia quotidiana, eademque a multis inde seculis mandata litteris docet. Hinc itaque philosophi concluserunt plurimi, iidemque gravissimi, esse sempiternum aliquem causarum effectuumque ordinem, sequentia semper pendere a praegressis, adeoque machinae mundum esse simillimum. Addidit Leibnitius, summam Dei sapientiam hunc rerum ordinem postulare; ut enim artifex habetur sapientior, qui horologium, aut aliam fabricatur machinam, suapte natura motum terrae circa centrum, aut alium quemvis, quem animo intenderat, sequentem, nulloque aut minimo deinde egentem artificis auxilio: ita Deus, quo ordinatius disposuit singula, quoque sibi minus reliquit in mundo regendo negotii, id est, quo magis movetur mundus, mutantur singula in mundo per vires ipsis naturis mundi inditas, eo est sapientior judicandus. Quodsi enim aut saepe aut semper Deus dirigere singula, ordinare, aut alio quovis modo ordinem mundi restituere habet necesse; aut non praevidit, quaenam essent abitura in confusionem, aut praevisa noluit ante rectius disponere, quorum alterum est insipientis, negligentis, aut ignorantis, alterum, quod maxime se deceat non curantis, et, quam habet, sapientia non utentis. Potuisse autem singula hac ratione disponi, argumento sunt machinae humanae; quae enim fieri in paucis possunt, eadem adhibita sapientia summa fieri etiam in omnibus queunt; nec quicquam inde sequitur, quod sibi repugnet. Fac enim fuisse naturas adeo rebelles, ut cogi sese in ordinem non sinerent, nec redigi ad ullam rationem certam; nihil Deum his uti in mundo condendo cogebat, licebatque summae ejus potentiae, has e mundo jubere exulare. Quae si ita sese habent, si rarissime Deus sua vi in universo quaedam mutat; magica ars omnis nulla est. Accedit, quod aut omnia fiunt causis naturalibus, aut quaedam,

*) Eberhard Abhandlung von der Magie, in Semlers Sammlung von Briefen über Gasnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen Stück 2. p. 141.

dam, aut nulla. Si omnia, exulat magia; sin quaedam, ita ut semper alia a causis physicis, alia a Dei et angelorum ac daemonum proficiscantur ministerio, totius mundi ordo turbatur, similisque est mundus horologio, a vi e lateris hominumque manibus modo huc modo illuc moto, quod brevi necesse est perire, tot motibus contrariis partes ejus turbantibus et denique frangentibus. Summam rerum omnium confusionem inde sequi esset necesse, idque eo magis, quo major est mundus horologio, quoque minus nos singula, quae horologio inferuntur damna, quotiescunque movetur praeter naturam, perspicimus. Quae si cerneremus cuncta, manifesto hinc intelligeremus, mundum hujusmodi stare nullo modo posse. Relinquitur ergo ut dicamus, Deum omnia gubernare et efficere sua vi, naturas praeter Deum omnes mera esse Dei instrumenta, omnem motum, omnem mutationem habere Deum auctorem. Huc, qui subtilissime, quid esset sibi consentaneum, perspexerunt, nonnulli descenderunt, Arabes quidam, Mallebranchius, et patres ecclesiastici; Plotinus enim, ejusque sequaces, mediam ingredientes viam, quaedam naturae, quaedam Deo et spiritibus tribuentes in mundo regendo, haud satis sibi prospexerunt. Hi autem quanquam satis constanter doceant, in alia tamen eaque gravissima incurrunt absurda, Deum esse non vitiorum modo auctorem, sed ipsum scelera perpetrare cuncta, Deum secum semper pugnare ipsum, belloque intestino semper distrahi, quaeque alia sunt his similia, sin minus verbis ipsis, hoc enim horrent, at re tamen ipsa, autumantes. Huc accedit etiam, quod in operationibus magicis manifesta sunt fraudis indicia, ut firmari auctoritate idonea possit nulla. Noctem illusionum et somniorum matrem exercendae arti deligunt, daemonas accensis candelis jubent adesse, umbra enim et luce incerta machinationes eo facilius teguntur, horrorem spectatoribus incutiunt quam possunt maximum, verbis omnique sono aut corporis motu jubent eos abstinere, quin potionibus saepe utuntur inebriantibus. Quod autem maximum est, ad spectandas artes neminem admittunt paullo doctiorem, aut minus credulum. Haec omnia, aliaque his similia qui secum perpenderit, indeque fieri prorsus non posse intellexerit, ut purum nudumque perspiciatur verum: fraudi omnia deberi, jure meritoque concludet. *)

Fate-

*) Eberhard Abhandlung von der Zauberey, in Semlers Briefen über Gaßnersche und Schröpfersche Geisterbeschwörungen Stück 2, p. 162, sqq.



Qui artibus magicis favent, in praestantissimam Dei naturam sunt injurii.

Fateri magiae defensores coguntur, Deum, quae cupiunt magi, facere, immo non facere non posse; relicta namque Deo libertate, votis ac precibus magorum non satisfaciendi: ars magica tollitur tota, ut quicquam inde sperare certi non liceat. Id ne divinae naturae videatur arguere imbecillitatem, summa benignitate, ac naturae in bonos et probos propensione facere, adjiciunt. Jam aut cupiunt magi, quae per se jam facere Deus constituerat, aut alia: si eadem cupiunt, eventurum idem fuisset, magia non adhibita, adeoque ars magica est nulla; sin alia cupiunt, Deus cogitur a proposito discedere, consilia optime ante capta mutare, quod est imbecillitatis extremae. Id si nolunt admittere, nec tamen magiae omnem denegare efficaciam: nullum restat effugium aliud, quam ut dicant, Deum praevisis magorum desideriis, ab aeterno ita singula disposuisse, ut iis faceret satis. Hoc posito redit argumentum idem: aut enim praevisis magorum desideriis, aliam elegit Deus mundi dispositionem, ab ea, quam alias fuisset electurus, id est deteriorem, siquidem quod deseritur a Deo consilium, cum sponte cupiat optimum, optimum dubio procul fuit; aut consilium propterea non mutavit, ex quo sequitur nihil prorsus efficere magiam. Omnes porro, qui uno eodemque tempore sunt in rerum universitate, magi eadem non cupiunt, cum eadem non sentiant, et de rebus gravissimis, totaque artis natura inter se dissideant, immo qui in primis disciplinae fundamentis uno sunt animo, in aliis tamen abeunt in diversa. Pluribus ergo magis diversa cupientibus, quid faciet Deus? Si singulis satisfacit, cogitur sibi ipsi esse contrarius: sin alicui, ars tota caret effectu, nec quicquam ei inest certi.

